

Ha. 44^a



19



Jo. Caselio interprete

- 1.) Plutarchi de curiositate libellus. Helmst. 1595
- 2.) ad Matthiam de Schulenburg Παλαιστικος. ibid. eod.
- 3.) Xenophontis Cyropaediae Liber II. Rostoch. 1579.
- 4.) Calumniæ Luciani. Helmst. 1595.

1385
94747

XENOPHONTIS
CYRI PÆDIÆ

LIBER SECUNDVS.

L

AD ILLUSTRISSIMUM PRINCIPEM
HENRICVM IVLIVM

*Præsulem Halberstadiensem, Ducem
Brunsvig. et Lunenburg.*

IOAN. CASELIO INTERPRETE.

*Cum eiusdem aliquot locorum politicis
explicationibus.*

ROSTOCHII

Ex typographia Augusti Colorini.

Anno MD. LXXIX.

Joannis Brenneccii.

2

XENOPHONTIS
CYRI PEDIAE

LIBER SECONDVS

AD ALEXANDRISIMVM PRINCIPEM
HENRICVM IVLIVM

Philosophus, Mathematicus, Poeta
Graecus et Latinus

IOANNES CASSELLI INTERPRETE

cum eiusdem aliquot locorum politia
explicationibus

ROSTOCKII

ANNO MDLXXIX



AD REVERENDISSI-
MVM ET ILLUSTRISSIMVM
PRINCIPEM, D. HENRICVM IVLIVM,
Præsulem Halberstadiensem, Ducem
Brunsvig. et Lunæburg.

PROOEMIUM.
IOANNIS CASELII.

ANNO ABHINC MISI
ad te, princeps Henrice Iulj,
meam primi libri Xenophontis
Cyripediae interpretationem: non
aliqua mea curiositate aut pri-
uato consilio: quorum tamen illa
si fuisset, ab aequis hominibus non magnopere forte
reprehenderetur, ex qua aliquid boni publice posset
oriri; hoc si solo fuissẽm vsus, sapientes etiam pro-
barent: sed quidquid illius institui, feci de auctoritate
grauissimorum virorum, tibi optimè cupientium &
reipublicæ. Hoc enim ingenio sunt omnes boni viri,
vt optimos esse velint principes ciuitatis, ne ciues
aliqua calamitas opprimat, aut in discrimen veniat
respublica. Sed optimum quemq; erga te singula-
riter affectum esse, multis iam annis comperi: neq;
mirum, cum in te etiamnum puero heroica indoles

A 2 elus

eluceret, non iam è vultu solum & gestibus & ora-
 tione, quæ vt sæpissimè in adultis fallant, in tenera
 profecto ætate, artis simulandi nescia, indicia non
 leuia sunt naturæ bonitatis, sed etiam è morum ele-
 gantia & puritate perpetua, & è studio ardenti bo-
 narum litterarum singulariq; profectu, annos adole-
 scentia superante, quæ & argumenta generosissimi
 animi longè certissima, & futura, si ad imperium
 aliquando accederes, gubernationis optimæ signa esse
 existimantur. Eadem res fecit, vt ipse etiam te,
 quem nunquam vidiſsem, complecterer animo meo:
 postquam autem, quæ ex alyis acceperam, & vidi
 cupidè, & exploravi diligenter, inflammatus quoq;
 fui tui adiuuandi desiderio: non quod deessent ho-
 mines doctissimi, quibus quotidie vtereris, sed, quod
 illis ipsis, quibus cum amicitiam colerem, proban-
 tibus, si non aliquid noui consilij depromerem, saltem
 stimulum, vt aiunt, currenti adderem. Hoc igitur
 feci & coram aliquoties, & per litteras sæpius: cumq;
 à nemine improbari animaduerteterem, probari à plu-
 rimis, & ab ijs, quibus educatio tua maximæ curæ
 erat & esse debebat, monerer, vt aliquid meditarer,
 quod ex vtilitate tua esse intelligerem, siq; putarem,
 eum librum, quem P. Scipio, idem imperator summus
 militiae, & optimus senator domi, nunquam de ma-
 nibus

nibus deposuisse referretur, tibi ex Græco Latinum
 facerem. Etsi non me fugiebat, quid alij in hoc diuino
 opere & quam præclare præstitissent: tamen cum illi
 instarent, dicerentq; me ad te respicientē, tibi interpre-
 tationē dictione simplici & perspicua cum tuo fructu
 facile elaboraturum; eorum voluntati, qualescunque
 etiam causas adferrent in medium, aduersandum am-
 plius non putavi. Iam ego primum suscepti laboris
 specimen placuisse gaudeo: placuisse autem & tibi,
 cui destinata fuerat hæc opera, et huius consilij primis
 auctoribus, & patri tuo, duci Iulio. Huic vero prin-
 cipi sapientissimo cum videatur, & denuo alij me con-
 firment, pedem referre non debeo, nec quod cœperim,
 relinquere: ne & tantam auctoritatem contempsisse,
 & vel parū consideratè hoc inchoasse, vel inchoatum
 consultò, leuiter abiēcisse videar. Quod autem in-
 tercessit moræ, id non ex tergiuersatione natum fuit.
 Cur enim, quod summa voluntate fuisssem aggressus,
 non ita perficerem? præsertim cum id & vsui fu-
 turum sperarem patriæ, cuius princeps simul erudi-
 retur, & scirem ex honore meo esse, & commodo?
 quoniam hæc duo, licet illo vno multis partibus mi-
 nora, de vulgi sententia maxima esse existimantur,
 & ijs homines ad grauissimos labores tolerandos, ad
 extrema pericula adeunda, ad egregia facinora desi-
 gnanda,

A 3

gnanda,

gnanda, excitari pœne solis videntur. Obstitit interea vnum ex alio, sed potissimum valetudo varia: quam quando primulum colligere cœperam, nihil prius habui, quàm vt alterum pensum huius laboris absolutum ad te mitterem. Hoc tu, adolescens nobilissime, sic accipe, vt soles: hoc est libentissimè. Sic accepisse te statuam, vbi cognouero; non vt i probes, quod facio, sed quàm vsui tibi sit hic liber, qui non ex me hoc primum habet, sed per se is est, ex quo principes proficiant adolescentes, cuiusq; perpetua lectione, deinceps quoq;, vbi adoleuerint, in rectè imperandi ratione confirmantur, & de omnibus muneris sui partibus quotidie moneantur. Te autem, postquam ipse clauum reipublice in manus sumpsisti, (quod & tibi & populis tuis felix faustumq; sit) non tantum discendis ijs, quæ in re omnium apud mortales maxima requiri intelligis, occupatum esse oportet, sed etiam multoquè magis, ijs vsurpandis, quæ ante didiceris. Vt autem ea tibi semper in animo hæreant, & oculis obuersentur, consuetudine sapientum vteris perpetuo, quos partim audies, partim legendo cognosces. Neutrius enim generis negligendi sunt, cum illi quoq; manus operi vna tecum ipsimet admo-ueant, hi vero citra offensam nihil dissimulent omnium, quæ te scire tua tuorumquè interest. Finem
autem

PROOEMIUM.

autem epistolae faciam, ubi unum dixerō, quod semper intueri & meminisse te velim, sed iam potissimum, in hoc imperij tui tirocinio, profectum à sapientissimo viro, siue ille fuit Bias, ut princeps philosophorum retulit, siue, ut alij, Chilon, neuter equidem altero inferior: magistratu indicari hominem: quod & poëtae tragici, & Atheniensis oratoris auctoritate confirmatum est: quorum hic in grauisima accusatione Æschinis, Sophoclea Creontis oratione uti non dubitauit.


ἀμύχανον δὲ, inquit, πάντος ἀνδρός ἐκμαθεῖν
ψυχῆν τε ἢ φρόνημα ἢ γνῶμην, πρὶν ἂν
ἀρχαῖσ τε ἢ νόμοισιν ἐν τριβῆς φανῆ.

Re autem vera magistratus virum indicat, & quæ recondita quisq; habuit in intimis præcordijs, in clara luce collocat cognoscenda cuilibet: tum quia, qui in altissimo gradu ciuitatis constitutus est, adeptus etiam quiduis faciendi licentiæ plus videtur, qua tamen non abutitur, qui virtutis non adumbratæ solida fundamenta iecit: tum quia, si priuatim rectè viuere rarum est & difficile, cum alijs ita vitam colere, ut à recta bene viuendi semita non deflectas, omnibus de causis, summam in se difficultatem habet. Itaq; huius rei exempla ab hominum memoria inter mortales non extant multa illustria. Etsi autem, nisi
quis

quis se in solitudinem abdat, quod est vel abhorrentis
 ab humanitate, vel diuini viri, qui non iam corpore,
 sed mente viuat, omnes reliqui cum alijs viuimus:
 tamen, qui munus publicum gerunt, & in his potis-
 simum, quorum est regia dignitas, vt omnium, qui
 tui ordinis sunt, maxime cum alijs agere apparet,
 quando pluribus ipsi vtimini, apud omnes de omnibus
 rebus constituitis, quid cuiq; debeatur definitis, & sin-
 gulorum & vniuersæ ciuitatis curam geritis. Qua
 de re cum cogitas, quod certè & oportet te facere,
 & facis sine dubio; te ipsum acuis ad id imperium,
 quod in te susceptum semel, non depones, quoad viues,
 ita rectè præclareq; gerendum, vt omnium hominum
 totiusquè adeo Germaniæ summam de te expecta-
 tionem sustineas, & si fieri possit, superes, quam cum
 excitaris ita maturè, fallere omnes mortales, pro-
 fecto turpissimum foret, & propterea minime tibi
 committendum. Quod si illud, quod omnes optant,
 ego vaticinor, facies, quemadmodum cœpisti, & per-
 ficies, auxilio etiam optimæ doctrinæ; noua ratione
 illustrabis genus tuum, & florentem te ipse contue-
 beris, & præmium id consequeris, quod vt summi he-
 roes adipiscerentur, vitam etiam prodigere non du-
 bitarunt. Alia audies alias fortassis etiam ex me,
 atq; item alia, neq; tamen à nostris aliena, vel potius
 cum

PROOEMIUM.

cum ijs mirificè conspirantia, ex alijs viris egregijs, quorum consuetudine libenter vteris, audies quotidie: mihi, cum epistolam clauderem, nihil venit in mentem, quod hoc tempore, ad tuos diuinos impetus corroborandos, potius adscriberem: tu animum meum, & hanc cohortationem non contemnes: quin vt qui elegantibus sit oculis, eum Apellis tabula iuuet, ita tibi diuina indole prædito, deprompta è sapientiæ thesauris & grata & profutura iudició. Hi cum penes eruditos sint, fove porro homines eruditos, & vt in pleniorum animi opum possessionem venias, non desine colere litteras, vel potius ipsas hoc ardentius cole, quo magis tibi ijs opus est in hoc mortalis vita labyrintho, non minus, quam filo Ariadnes Theseo. Vale. Rostochio Kal. Quinct. Anno CIO. IO. LXXIX.



B

XENOPHONTIS CYRI PÆDIÆ

LIBER SECUNDVS.

I. **D**E rebus igitur eiusmodi differentes, ve-
nerunt ad fines Persidis. Cum autem a-
quila præiret, quæ ipsis apparuerat ad

I. **V**itam hominum neque nefariam, neque improbam, neque
iocularem esse oportere, sed, ut vno verbo homines philo-
sophi loquuntur, studiosam, neminem fugit. Studiosam autem
appellant, quæ in functione muneris perpetuo occupatur, quæq;
est perpetua exercitatio iustitiæ, prudentiæ, cæterarumq; vir-
tutum omnium. Hic usus vitæ cum semper omnibus alijs, tum
sine exceptione conuenit ijs, qui munus publicum gerunt. Cui
igitur magis, quàm regi aut principi, aut imperatori? Recte
igitur Græcus poëta statuit: non oportet eum, cui populi salus
credita, & summa reipub. curæ sit, totam noctem dormire, sed
tum quoque de rebus consilium capere. Sic cum agendo occupari
hominis natura, sine intermissione non posse videatur, etsi non-
nunquam ludis iocisque condiri & recreari rectè vita possit:
tamen cum in illis maxime siue sunt, siue alijs esse videntur præ-
stantes viri, tum ea simul miscent, quæ se non indigna sunt, & ad
officium quodammodo spectant, ut etiam memorabilia sint, &
luce litterarum non merito ad posteritatem prodantur eorum a-
liqua, ut alio loco ostendit Xenophon. Sic viri principes, dum
agunt, quæ ex vulgo aliquis si ageret, aliud agere non posset; ipsi
res graues cogitant, vel de reipub. consilium capiunt. Exemplo
est hoc iter Cambysis & Cyri: cuius sermones in extremo supe-
rioris libri expositi sunt.

dextram

II. dextram; ibi deos & heroes, Persidis terræ præ-
sides, comprecantur: se vt propitij & beneuoli di-
mittant: atq; ita fines transierunt. Transitis autem
finibus, iterum supplicant dijs, præsidibus Mediæ,
se vt propitij & beneuoli accipiant.

II. **V**trumq; superstitionis est: primum ad omina animum adij-
cere, quæ tamen mortalium pleriq; potius obseruant, quàm
vt cogitent, quæ negotia, & quàm necessario, & quibus modis
aggrediantur. Nam & semper recta velle, & nunquam magna
atq; periculosa, nisi coacti, suscipere, & illa non sine consilio ge-
rere debemus. Est & alterum superstitionis, diuino honore
quodcunq; aliud, siue id nihil, siue aliquid, siue etiam magnum sit,
afficere, præter id vnum verumque numen, quod neq; esse cæpit,
neq; esse desinet, sed semper est à quo sunt omnia, & conseruantur,
quod est supra omnia, quod est ipsa intelligentia & bonitas, quæq;
alia de Deo dici & cogitari, quæq; insuper neq; dici neq; cogitari
possunt, ob humani ingenij imbecillitatem. In his vt se gesserint,
gerantque per vniuersum orbem multæ gentes etiamnum hodie,
legere licet & cognoscere, vt nos à grauissimis eius generis erro-
ribus quàm longissimè remoueamus. Sed in illis, vt impios fuisse
plurimos, qualis ille cyclops apud poëtas, qui se Iouem igno-
rare, & fulminibus minimè terreri iactat, itemq; Ajax Oilei, qui
se vel dijs nolentibus, emersurum fluctibus, traiecturumq; in Græ-
ciam gloriabatur, accepimus; ita in multis moderatis hominibus
eluxisse aliquid pietatis, non infitiabimur, qui sine auxilio nu-
minis nihil feliciter geri & senserint, & hoc, quidquid agerent,
præ se tulerint. Exempla apud Homerum permulta sunt he-
roum: & Iason, quando cum delecta manu Græcorum iuuenum
Argo nauem ascenderat, suscipiens expeditionem Colchicam ad
petendum vellus illud aureum, stans in puppi, antequam sol-
ueret, vt canit in Pythijs Pindarus:

πατέρα οὐρανοῦ,
 ζῆνα, καὶ ὠκυπόρους
 ἀνέμων τ' ἐκάλει:
 κελεύθερ,

ἔγχεϊ κέραιον
 κυμάτων ῥίπας,
 νύκτας τε, καὶ πότις
 ἅματα τ' εὐφρονα, καὶ
 φιλιάρνοσσο μοῖραν: id est:

patrem caelitem, Iouem illum hasti fulmineum, & celeres fluctuum ventorumque iactationes implorabat: item noctes, & maris semitas, & dies laetitiae auctores, & felix fatum reditus. Liceat vero mihi grandiloqui poetae mentem explicare. Neque enim Iason fluctus, ventos, noctes, dies, & cetera, veluti deos inuocat: sed solum, ni fallor, Iouem, ut nauim cum Argonautis interdum & noctu in tempestatibus seruet, ventos secundos largiatur, & incolumem, parta victoria, ad suos reditum. Praeter Agesilaum & ipsum Xenophontem, huius in deum pietatis exemplum aliud nullum hoc loco proferam: quae si non sincera est, ad sinceram nos merito excitare debet, ut minima, maxima, non nostra virtute, sed diuina ope perfici, nobis persuasissimum habeamus, & propterea illam, non simulatione sanctimoniam, sed vero animi affectu imploremus.

III. His peractis, mutuam salute dicta, ut par erat, pater iterum in Persas recedit: Cyrus Mediam versus ad Cyaxarem progreditur. Postquam autem Cyrus accessit in Mediam ad Cyaxarem, primum inter eos, ut par erat, fiebat consalutatio: deinde querebat Cyrus e Cyaxare, quantas copias duceret.

Sunt in picturis parerga, in fanis caerimoniae, sic in vita hominum ritus aliqui potissimum in regijs. Pictores praeter opus adijciunt quaedam ornamenta alia: non ut aliena pingant, opere omisso. Nec pietas in caerimonijs consistit, sed haec inuenta fuerunt, ut ad pietatem vulgus allicerent, quoniam ipsum oculis plus videt, quam mente. Species item aularum, & splendor qui adhi-

adhibetur multorum generum, non ille solum vestium & auri, sed verborum etiam & vultus, nequaquam est ipsa politice. Itaque qui vere politici sunt, cuiusmodi & ipsos reges, & consiliarios esse oportet; quidquid est talium elegantium nugarum, etsi ipsas vsurpent, consuetudini potius quam rationi, morem gerentes, non magni faciunt: quæ humanitatis signa sunt, haud negligunt, sed ab ijs ad res gerendas se subito recipiunt, atque in ijs occupantur perpetuo. Hoc regem nosse oportet, non arcibus, neque thesauris, neque sceptro, neque diademate, quæque sunt his similia, sed consilio & procuratione salutis publicæ regnum contineri: illa esse insignia regum, hæc ipsum re vera imperium.

- IV. Triginta, inquit, millia, qui iam pridem apud vos militare stipendijs solebant: alij item ex primarijs Persis, homotimi apud nos dicti, qui numquam antè è patria egressi sunt, adueniunt. Quot ij? inquit Cyaxares. Numerum, inquit Cyrus, vbi audieris; non ille te singulari perfundet letitia. Sed alterum
- V. apud animum considera: hos, licet paucos, appellatos homotimos, ceteris Persis, quamlibet multis, facile imperare: verum, egesnè ipsis? pergit dicere, an sine caussa metuisti? & hostes nulli veniunt? Immo, inquit, quam multi etiam. Vnde hoc constat? Quoniam, inquit, qui ex illo loco multi veniunt, alius alia via, omnes eadem referunt. Itaque nos conferre pedem cum viris oportet. Id, inquit, necesse est. Quid igitur, inquit Cyrus, neque mihi recensuisti, si cognoveris, quantæ sint, quæ nos inuadunt, copias? atque iterum nostras? Ut vtrisque cognitis, consilium ex re
- B 3 capiamus

V. **N**ouum non est, neq; tantum aut huius ætatis, aut Germanorum, militare stipendijs. Nam & Persæ in Media militabant, & in Asia Græci, & alij alibi. Germani autem militarunt etiam olim Romanis, quibus nondum parerent: & postea, quibus vellent: maiore etiam hodie militant licentiæ consuetudine, quàm fortasse libertatis iure. Cum sit autem hæc natio militaris, satius etiam est, quando aduersus hostes imperij bellum non geritur, milites alibi gentium potius esse in militia, quàm domi scditiosè inter se contendere. Nec olim fuit vitio datum, bello rem & gloriam cum vitæ periculo quærere. Deniq; cum sit ordo equester, qui eius ordinis sit, hunc aut ad mercaturam viliores ve artes animum conuertere, aut ignauia domi torpescere, & turpe est per se, neq; ex republica. Si enim hostes inuadant imperium, quod cum hostibus aut barbaris, quorum illos propulsare & hos ad cultum humanioris vitæ etiam potentia cogere iustissimum foret, perpetuum bellum non gerit, quod sanè rectius fieret; non desint neque veterani milites, neq; idonei belli duces. Sed altera multo grauior est quæstio, reges & resp. rectene vtantur externis ducibus & conductitio milite. Strabo certe non solum geographus optimus, sed etiam grauis alioquin scriptor hoc nomine Tarentinam ciuitatem admodum reprehendit, aitq; ex prauis Tarentinorum institutis hoc vel præcipuum fuisse, quod cum Messapijs & Lucanis bellum gerentes, arcesserint Alexandrum Molossum: prius item Archidamum Agesilai filium, ac postea etiam Cleonymum & Agathoclem: deniq; Pyrrhum, suscepto aduersus Romanos bello. Hanc autem quæstionem Isocrates explicat in oratione de pace, & satis subtiliter ostendit, quantum vitij sit in militia hac mercenaria.

V. Non multitudine & violentia, sed consilio multo magis maximas res geri, & neminem fugit, & celebratum est à multis. Homerus ait, arte potius, quàm vi lignatorem arbores diuidere: consilio & gubernatorem gubernatori, & aurigam auriga facile præstare. Lyricus item ille grandisonus, cum in Typhoea inuehitur.

bitur, & Porphyriorem: violentia tandem insolentissimos quosque concidisse cecinit. Hoc veluti præmansum ab ore Pindari Horatius accepit, nobisq; ita reddidit. Vis consilij expers mole ruit sua. Consilij autem maximi est, alijs rectè atq; ordine imperare. Hac prudentia qui dux instructus sit egregiè; ipsum exiguis etiam copijs adoriri rectè possit, non sine certa spe victoriæ hostium quantumuis immanem, tali imperatore tamen carentem exercitum. Ex innumeris exemplis memorabiles sunt pugnae & victoriæ Atheniensium, prior ad Marathonem duce Miltiade, Themistocle altera ad Salaminem.

capiamus, vt in certamen descendamus quàm rectissimè?

VI. Audi igitur, inquit Cyaxares. Lydus ille, Croesus dicitur ducere decem millia equitum, scutorum vero & sagittariorum ultra quadraginta millia. Artaman autem magnæ Phrygiæ principem aiunt ducere ferè equitum octo millia, hastatos cum scutatis non pauciores quadraginta millibus: Arabæum regem Cappadocum, ferè sex millia equitum, sagittarios & scutatos non pauciores triginta millibus: Arabium Maragdum ferè decem millia equitum, & ferè currus ducentos, & ingentem manum funditorum. De Græcis, qui Asiam incolunt, nihil dum certi refertur: Sequantur ne ipsi, nec ne. E Phrygia porro, quæ ad Hellespontum est, aiunt se coniunxisse Gabæo: qui in campo ad Caystrum equitum sex millia, scutorum decem millia habeat: Cares sane & Cilices & Paphla-

Paphlagones arcessitos esse, sed non sequi. Assyrius deniq; qui Babylonem & reliquam Assyriam possidet, adducet, opinor, equitum non minus viginti millibus; currus, quod sat scio, non plures ducentis; pedites, opinor, perquam multos. Solebat ita, quoties nostram regionem inuaderet. Tu, inquit Cyrus, hostium esse dicis, equitum fere sexaginta millia; scutorum vero & sagittariorum plus quam ducenta millia. Age nunc, quantas ais esse tuas copias? Medorum, inquit, equites plures sunt viginti millibus; scutorum & sagittariorum forte sint in nostro regno sexaginta millia: Armeniorum vero, inquit, nobis finitimorum, præsto erunt equites quater mille, vicies mille pedites. Ais tu, inquit Cyrus, equites nostros tertia parte nondum respondere equitatu hostium, sed altera propemodum pedites, illorum pediatu. Quid igitur, inquit Cyaxares, nonne existimas paucos esse Persas, quos te dicis ducere? Verum, sitne, inquit Cyrus, pluribus opus militibus, an non sit, deinceps deliberabimus: pugnandi rationem, inquit, expone quæ sit singulis?

VI. **Q**uod iam monebo non propriè ad hunc locum pertinet, neq; tamen ab eo putandum est, esse alienissimum. Hominem eruditum ornat doctrina geographica: neq; ea carere potest, qui historiæ cognoscendæ cupidus sit. Historiæ autem cognitionem ad politicen referimus: neq; historiæ quis iniuria, vel politices exempla.

exempla, vel explicationem, vel alteram politice dixerit. Quare
 & regum filijs & alijs, accessuris olim ad rempublicam, au-
 ctiores esse debebunt, qui alios aut ad regna aut ad rempublicam
 se educare profitentur, vt illi hanc alteram orbis terrarum con-
 templationem, & ferè in oculos ipsos iacurrentem, minimè ne-
 gligant: præsertim cum idem studium vtilissimum, vt apparet,
 habeat in se tantum suauitatis, vt si quis in id labor ponatur, ipse
 voluptatis appellationem mereatur.

Quod magis sentiet, qui ad φιλοθεωρίας respiciat. Hi enim
 longinquas terras, non sine periculo, etiam magnis impensis, et-
 si adeunt; tamen iacturam rei familiaris & quamlibet grauem
 molestiam, præ voluptate nullam sentiunt. Cum vellem osten-
 dere, me consulto regionum & gentium explicationem præte-
 rere, quod laboriosiore, quàm vtiliore putarem, de re peru-
 tili simul monere non dubitauit.

Ferè, inquit Cyaxares, omnium est eadem. Namq;
 & illorum & nostræ copiae è sagittarijs constant &
 iaculatoribus. An non, inquit Cyrus, cum eiusmodi
 vtrinq; sint arma, leui & velitari pugna decerta-
 bimus? Necessè sane est, inquit Cyaxares. Nónne
 igitur, si ita res geratur, inquit Cyrus, penes plures
 erit victoria? Paucos enim multi citius vulneribus
 conficient, quàm multos pauciores. Cum ergo hoc
 ita se habeat, inquit, Cyre, quod rectius quis consilium
 VII. repererit, quàm vt quos in Persiam ablegemus, qui
 tum Persas doceant, si quid sinistri Medis euenerit,
 futurum, vt hæc calamitas in eos redundet, tum
 maiores etiam copias postulent.

C

Argu-

VII.

Argumento vititur peruulgato Cyaxares. In cuius enim ore hoc non est? Tua res agitur, paries eum proximus ardet. Sæpe tamen nihil consideratur minus, ab ijs potissimum, quorum maximè intererat. Hodie Turca Pannoniæ potissima parte occupata imminet cervicibus Germaniæ, & patrum nostrorum memoria ausus fuit, Viennam obsidere, transitis Pannoniæ finibus. Spe autem has prouincias omnes deuorauit. Quæ iam contrâ legiones imperij terrori sunt hosti orbis Christiani maximo? Moscus item, quicum si comparemus immanissimos tyrannos, Echetur, Busirin, Phalarim, Agathoclem, & quidquid est similium furiarum; hi in placidioribus genijs haberi possunt, nobis videntibus & sedentibus, occupat fines illos egregios imperij in Liuonia. Quod si quam facile propulsari ille potuisset, & fortasse etiam hodie posset; tam facile ipse progredi, non in seruitutem Germaniam redigeret, sed ad vnum omnes mactaret crudelissimè. Nihil enim ipsi, præter immanem sæuitiam, voluptati esse, pro comperto habemus. Paruam denique illam Hispanorum manum, quæ quo iure, quaq; iniuria vexat tot annos Belgium, viciniæ nihil quoque boni portendere, audiui sæpe ex hominibus sapientissimis, qui affirmarent de illa gente cum alia, tum hoc maximè, impotenter admodum eos sitire amplissimarum prouinciarum opes & imperia: quodq; ad ipsorum laudem quoq; plurimum facit, scientia præstare rei militaris.

Verum id, inquit Cyrus, scire te velim: quod si omnes adueniant Persæ; nos tamen hostes minimè superaturos numero. Quid ergo aliud dispicis hoc consilio rectius? Ego, inquit Cyrus, si tuo loco sim, quam primùm arma parem omnibus Persis ceteris, cuiusmodi habent, qui apud nos sunt homotimi appellati: sunt autem hæc, scutum in manu sinistra, ensis vel securis

LIX. securis in dextra. Quod si ea comparaueris; effeceris, ut nobis hostes adoriri sit tutissimum, & ipsis hostibus dare terga, quàm stare optabilius. Iam igitur, inquit, instructa acie eos sustinemus, qui constiterint: qui fugerint, illos vobis & equis tradimus, ut ijs, neque elabendi, neque regrediendi locus sit. Sic inquit Cyrus: nec non rectè dicere visus est Cyaxari: & hic iccirco plurimum arcessendorum mentionem nullam deinceps fecit: sed arma parabantur, de quibus antè dictum fuerat; atq; erant iam ferè in promptu: quando homotini i Persarum aderant, qui Persicas copias ducerent. Ibi igitur, ijs conuocatis, hæc verba fecisse Cyrus dicitur.

LIX. Armorum, quibus Perse utebantur, formam nobis hoc seculo ignotiorem esse nihil mirum est. Scutum Persicum gerrhon fuit dictum: copis est gladius, quam infra machæram nominat: neq; tamen non ut diuersæ figuræ copidem à machæra distinxit alibi. Aliam etiam fuisse machæram, quàm gladium obseruauit Henricus Stephanus ex libro de re equestri: gladio punctim vsos, machæra siue copide castim existimare licet ex illo Xenophontis loco. Sagarem reddidimus cum alijs securim, quàm rectè non affirmari: fuit etiam sagaris in armis Amazonum.

Cum videam, amici, vos ita esse armatos, & animis paratos, ut qui cum hostibus manus conseraturi sitis; cumq; ceteros Persas, qui à vobis ducuntur, intelligã, hoc pacto armatos esse, ut ipsis pugnandum sit acie, quàm fieri potest, eminus constituta: metuo

C 2 igitur,

igitur, ne nos pauci, qui constiteritis, iamq; nudati socijs, ubi in confertos hostes incideritis, non leuiter affligamini. Nunc igitur cum corpora virorū habeatis non reprehendenda; ego ipsis arma suppeditabo, nostris similia: vestrarum deniq; partium erit, vt ipsorum animos acuatis. Est enim aliquo magistratu fungentis, se bonum præstare, sed etiam curare, vt quibus præest, quàm optimi efficiantur.

IX. Sapiientissima vox Cyri, qua declarat, oportere imperatorem esse quàm optimum, neq; non ceteros milium præfectos: neq; satis esse, illos se eiusmodi præstare, sed ita instituire oportere totius exercitus priuatum quemque militem, vt æquè corporibus firmi, armis prompti, & fortes animis sint. Eandem hanc regulam principes reip. obseruare in ciuitate, tum quoq; cum metus belli nullus est, decet, vt ipsi sint optimi, suosq; ciues faciant optimos. Non enim felix aliqua respublica, nempe pace florens, & opibus; statim beata esse existimanda est: quin contra felicitatem non fore diuturnam, credibile est, nisi virtute & principis & ciuium nitatur, tamquam solido fundamento. Nam ipsa virtus, ceu anima est beatæ mortalium vitæ, neq; non eam & parit & tuetur: quæ tamen si eget rebus necessarijs & opibus; hæc certè non tutius ui, quàm prudentia, quæ oculus animi ad quasq; virtutis collineantis perhibetur, comparantur.

Quæ cum ille dixisset, omnes magnopere gauisi sunt, quod in certamen se descensuros cum pluribus arbitrabantur: atq; ibi vnus ex ijs dixit in hanc sententiam. Aliquid noui, inquit, fortasse videbor dicere, si Cyro consulam, vt nonnihil pro nobis dicat, quando

quando arma accipient, qui nobiscum depugnaturi sunt. Ego autem ita sentio, inquit, & orationes eorum, qui quàm maximè de alijs, vel benè vel malè mereri possunt, etiam maximè penetrare in animos auditorum, & munera, quæ ab eiusmodi viris proficiantur, licet tenuiora sint ijs, quæ pares largiantur, tamen ab accipientibus multo pluris aestimari. Et iam, inquit, si Persas Cyrus ipse cohortabitur, maiore gaudio afficientur, quàm si nos eos cohortemur, cumq; ab ipso adsciscantur in homotimos, hanc sibi conditionem firmiorem esse existimabunt, quàm si à nobis huc pertrahantur: neq; tamen nos officio nostro deesse conueniet: quin omnino omni ratione oportet animos virorum acuerè. Quo enim illi erunt præstantiores; hoc magis id ex re nostra erit.

X. Principis est, etiam alios audire: neque non consiliarij, sapienter exponere, quod in rem sit: neq; vtilia silentio præterire, neq; dicere, vt placeas, sed rebus consulas.

XI. Quantum accedat ex auctore beneficij, neq; ignorauit latinus comicus, qui parasitum ad gloriosum militem de Thaide, cui hic munus miserat, ita loquentem facit. Non tam ipso quidem dono, quàm abs te datum esse: id vero serio triumphat. Ut autem maius videatur beneficium à maiore profectum, causse hoc est, quod non tantum commodo nos augeri, sed honore quoq; affici intelligimus. Sunt enim dona eiusmodi, veluti aliquod de nostra dignitate iudicium siue existimatio. Accedit stulta in nobis gloriæ cupiditas, vt hoc pacto ex ijs, qui gloria circumfluunt, aliquid in nos quoq; ex illa deriuari arbitremur.

Sic ergo Cyrus, armis in medium positus, conuocatisq; omnibus Persarum militibus, hæc dixit. Vos in eadem, Persæ, regione, qua nos, & nati estis & educati: neq; corpora habetis deteriora nostris: neque vilioribus vos esse animis conuenit, atque nos sumus. Tales autem cum essetis, tamen in patria ad eosdem honores vobis aditus non patebat: non quòd nos ab ijs vos excluderimus, sed vos necessario vobis ad vitam necessaria parabatis. Iam vero, vt neque hæc desideretis, mihi curæ erit, dijs iuuantibus. Vobis autem licet, si libet, armis, cuiusmodi nos habemus, acceptis, etiamsi nobis sitis inferiores, idem discrimen subire, quod nos subimus: & si quid hinc obtingat boni, æquè eiusdem participes fieri. Vos igitur ante sagittarij fuistis & iaculatores: & nos item: quæ tamen si non æquè dextrè faceretis, minimè mirum. Non enim idem otium vobis erat, quod nobis, vt illis rebus prorsus incumberetis. Verum in hac armorum ratione, nos nihilo meliore conditione futuri sumus. Aptus enim cuique circum pectus thorax erit: scutum in sinistra, quale omnes gestare consueuimus, in dextra ensis aut securis, qua feriendus hostis sit: neque metuendum est, vt ferientes aberremus. In his ergo, quid vnus præstat alteri? nisi audacia, quam vos, non minus, atq; nos, adferre conuenit. Victoriæ namque desia

XII.

XIII.

desia

XIV. desiderio teneri, quæ & parit, & tuetur præclara
& bona omnia, quæ magis vobis, quàm nobis conuenit?
Viribus item, quæ in Valentiores conferunt bona im-
bellium, an consentaneum est, nos magis indigere,
quàm vos? Deniq, inquit, audistis omnia: arma con-
templamini: cui opus est, ea accipiat, & nomen det
apud centurionem, atq, in eundem, quo nos sumus, or-
dinem referatur. Sin cui satis est, esse conditione
mercenarij, manet in armis famulantibus.

XII. Non intelligit viliores. Sic enim nihilo eo beneuolentiores
sibi redderet, quod, qui dicit, nullo loco obliuisci debet: sed inquit,
etiamsi non æquè sagittis & iaculis exercitati estis, quod fit, cum
ijs non dederitis operam, æquè atq, nos.

XIII. Telis, quorum vsus est eminus, facile & sæpius aberratur:
rarior fit aberratio, si cum quibus cominus contendamus.

XIV. Victoriæ finis est quies, & acquisitæ felicitatis vsus & con-
seruatio. Negotia enim tractamus, vt otium nobis comparemus,
vt summus ille magister ait, & bellum gerimus, vt pace fruamur.
Neque enim quis bellum parat, vt in perpetuum huic turbulentiæ
& periculose rei operam det: quin nihil possit hoc homine cru-
delius reperiri, qui ex amicis hostes faciat, vt pugnae cædesque
committantur. Præclare igitur fortissimus, & optimus dux
Achilles apud poëtam: qui bellis & seditionibus delectetur; ei
neq, libertatis iura, neque publicas leges, neque priuatum focum
cordi esse. Præclare & Cineas Thessalus, orator maximus,
cum rege suo Pyrrho, sermones instituit, quibus ipsum flagrantem
incurabili morbo amplificandi imperij, à bello cum Romanis ge-
rendo auertere, & ad otium conuertere conatus fuit: atque illi
pluribus verbis à Plutarcho referuntur, eo spectantes: militia
aliquando finem esse imponendum, & ad bonorum perfruitionem
otium

otium constituendum. Sed super hac re ipsius quoque Cyri, victoris tum multarum gentium & Babylonis domini, sententiam infra audiemus.

Hic ita dixit: quibus auditis Persæ arbitrabantur, si inuitati ad pares labores suscipiendos, & æqualia commoda percipiendâ, hanc conditionem repudient, se omnem ætatem cum miseria conflētantes merito suo traducere. Itaq; omnes, acceptis armis dant nomina. Quo autem tempore hostes aduentare dicebantur, neq; tamen dum aderant; eo omni Cyrus dabat operam, vt corpora suorum ad robur exerceret, ipsos doceret rationem instruendæ aciej, animos deniq; eorum ad res bellicas acueret. Ac primum acceptis à Cyaxare famulis, iussit singulis militibus, quod necessariorum idq; paratorum opus esset, præberi. Quod cum procurasset, nihil ipsis faciebat reliquum, quàm vt se exercerent in re militari: quod hoc sibi perspexisse videretur: eos demum in quaq; re præstantissimos euadere, qui nequaquam in multas animum distrabant, sed se vni alicui totos dedant. Atque è militaribus exercitationibus, arcus & iaculorum exercitatione sublata, ipsis solum reliquit, vt ense & scuto, loricati pugnarent. Itaq; statim eorum animos sic affectos reddidit, vt rectâ hostes adoriri & scirent & desiderarent, aut ipsimet, se socios nihil esse, profi-

xv.

profiterentur: id quod ijs profiteri graue esset, qui sci-
rent, se nullam aliam ob caussam ali, nisi vt eos, à
quibus alerentur, defenderent.

XV. Qui sordidiusculis curis & procuratione rerum ad vitam à
fame, siti, frigore, æstu, tempestatibus, tuendam necessariorum
occupantur; neq; studijs sapientiæ, neq; artibus pacis aut belli toto
animo vacare queunt. Hoc Cyrus cum videret omni illa solli-
citudine suos milites liberandos censuit, vt omne tempus disci-
plinæ rei bellicæ, exercitationibusq; corporis tribuerent: animum
ad fortitudinem corroborarent, fortissimiq; milites euaderent.
Ita & diuino consilio in Germania à nostris maioribus insti-
tutum fuit, vt omnibus rebus, beneficio publico, & militares ho-
mines, & doctrinæ dediti abundarent. His patere voluerunt
amplissima sacerdotia, qui totos se religioni studijsq; sapientiæ de-
uouissent: illos ornari placuit prædiorum præfecturis, quæ no-
mine feudi nostra, opinor, lingua, continentur. Quod si neq;
equester ordo militat pro patria, & multa desiderantur in altero:
(luxu namq; pessum imus omnes & desidia.) neq; tamen non illa
diuinitus constituta sunt, & reuocari aurei illius seculi mores
pauulatim possunt, & corruptiores nostri aliquantulum corrigi:
modo & sic velint, & hoc vrgeant, quorum auctoritatem com-
muniuit potentia.

Adhæc vero cum animaduertisset, quod de quibus-
cumq; rebus contentiones hominibus inter ipsos ori-
antur, velle eos illas tractare potissimum: itaq; ipsis
certamina indixit omnium, quæ à militibus exerceri
ex re esse intelligebat. Quæ vero præciperet, hæc
erant: vt priuatus quisq; se dicto audientem præ-
staret magistratibus, & ad labores tolerandos im-
pigrum

D

pigrum

pigrum, ad adeunda pericula, sed ordine minimè neglecto, paratum, & scientem artis militaris, & armorum elegantie studiosum, & honestè ambitiosum in his omnibus:

Rectè hæc in priuato milite requirit Cyrus, primum vt imperatori bene facileq; pareat. Quid enim vel cum contumace agas, quo & in ciuitate & in re familiari nihil sit pestilentius? vel cum tergiversatore, cum in omni re gerenda, maximè in bellis, occasionis momenta valeant plurimum, & ferè omnia possint? Hoc igitur nomine, quod negotijs finem repente imponeret, prædicauit Pindarus, Demophilam nobilem Cyrenæum, quod & præclare nosset occasionem, & eam sequeretur, vt minimè fugitiuus famulus. Et Plutarchus refert: propositis iam certaminibus virtutem cunctatione in altam caliginem deijci. Requirit in eo deinde, laborum tolerantiam haud vulgarem, vt illos, non iam iussi, sed sponte in se suscipiant, quod eorum impatientes æquè nulli vsui sint in omnibus vitæ partibus, vt contumaces. Itaq; præstantes imperatores opus aliquod semper suis militibus imperabant. Requirit tertio audaciam, ordinis obseruatricem, hoc est, fortitudinem militarem. Primum enim militum neminem ignauum esse, metuq; facile percelli oportet: sed neq; temerè se in discrimen conijcere, qui sunt pleriq; θεασύδ' εἰλοι, id est: in principio confidentes & paullo post timidi: verum audacem, (& enim fortis audax est, & cum fortitudine magnam habet similitudinem audacia.) audacem autem cum ratione, vt seruet, quæ seruanda acceperit à ductore, neq; aciem turbet. Hæc etsi non est vera fortitudo, quæ in paucos mortalium cadit: tamen adumbratarum specierum prima est, qua qui ex militibus sit præditus, non iniuria fortis habeatur. Quartum, ne sit nescius rei militaris, ad ipsam fortitudinem, quam modo attigimus, pertinet. Reliqua sunt duo, quorum prius, faciat né ad fortem militem videamus. Non enim splendor armorum, neq; animum addit, neq; vires auget,

get,

get, neq; ipsa arma efficit meliora: neq; hæc elegantia aut hostes fundit, aut hostibus terrori est, quod & inquit Eteocles apud Æschylum.

κόσμορ μὲν ἄνδρὸς οὐτινα τρέσαιμ' ἐγώ,
οὐθ' ἔλκοποιᾶ γίνεται τὰ σήματα,
λόφοι δὲ κώδωντ' οὐ δάκνυσ' ἄνευ δ' οὐδός.

Non, inquit, ego viri ornamenta reformidauerim: neq; enim insignia graues infligant plagas: neq; cristæ, neq; tuba mordent absq; hasta. Ac ne hasta quidem, sed vir ipse animo & manu præstans, vt hoc quoq; largiamur Eteocli. Cum vero pulcritudinem armorum requireret Cyrus, postulauit eorum præstantiam, & militum animos, qui rebus bellicis caperentur. Quo enim quis delectatur maximè; hoc cupit esse omnibus partibus ornatissimum. Erit igitur armorum elegantia signum animi fortis. Vnde & princeps poëtarum fecit arma heroum pulcherrima, & præstantissimi Achillis potissimum, vt in ipsius clypeo videre est. In primis vero Xenophontem nostrum, & ipsum Socraticum, & imperatorem fortissimum delectatum fuisse elegantia armorum, alibi ex Æliano retulimus. Vti namq; solebat clypeo Argolico, lorica Attica, galea Boeotica, equo Epidaurio. Aiebat autem, quasi huius singularis sui elegantie studij rationem reddens, si quis hostes fudisset, ei merito togam triumphalem deberi: si quis etiam fortiter, cum hoste dimicans, cecidisset, hunc in armis pulchris non indecorè ibi iacere, eaq; esse εὐτάφια, quæ ornamento sint forti viro. Alterum est, & in omnibus vltimum, de ambitione, vt laudem quærat ex his omnibus velitq; prædicari, quòd pareat, quòd labori se & periculis offerat, quòd non ignoret, quæ sui muneris sint, quòd pulchrè armatus sit. Qui horum nihil affectet, inq; eorum nullo sibi placeat; eum neq; sui honoris vllam rationem habere, & animo abiectò esse oportet. Itaq; ordine militari nequaquam, sed neq; satis dignus, cui opus aliquod rusticum mandetur.

D 2

Quin-

XVII. *Quincurioni vero, ut talis quoque ipse sit, qualem esse præstantem priuatum militem iusserit, & quantum in ipso sit, suam quincuriam ita præstantem efficiat: decurioni, ut decuriam: præfecto manipuli, ut manipulum: ad eundem modum centurioni. Atque ita cuique eorum, qui alijs præessent, præcepit, sui ita curam agere, ne ulli sint affines culpæ: ita vero eorum, quibus præessent, ut ipsi officio semper fungantur.*

XVII. *Initio explicuit Xenophon, qualem esse voluerit quemque priuatorum militum Cyrus. Eisdem virtutibus singulos milites esse oportet, etiam eos, quorum aliqua partes sunt in imperio. Non enim vilior esse debet, qui alios debeat meliores reddere: sed præstantior hoc potest & exemplo, & auctoritate, & iure facere. Atque ita in vniuerso exercitu futurum est, ut singuli sint boni & fortes milites.*

XIX. *Præmia autem declarauit, centurionibus, qui ordines viderentur quam optimos facere, ut tribuni fierent; præfectis manipulorum, qui fortissimos reddidissent manipulos, ut centurionibus succederent; fortissimis decurionibus, ut præfectis manipulorum adscriberentur; quincurionibus item, ut adsciscerentur in decuriones; qui ex priuatis militibus essent præstantissimi, in quincuriones. Hoc autem commodi erat omnibus, qui quoquo modo alijs præerant: primum, ut colerentur ab ijs, quibus præessent: deinde, ut*

vt alijs etiam, quos quisq; mereretur, afficerentur honoribus: quin & ampliores spes laude dignis erant propositæ, si quid se in posterum plus commodi ostenderet.

XIIX. Si mortales ad vnum omnes intelligerent, quod intelligunt firmiterq; tenent paucissimi: ipsum decus virtutis per se esse expetendum: non alijs illocebris opus erat, quibus inuitaremur ad honesta facinora: præmia autem appellantur: nempe honor & utilitas. Nobilissimo ingenio qui sint, honoribus maximè alluciantur. Voluit igitur imperator quemlibet præfectorum colit, primum ab ijs, quibus præesset, deinde & de suo & de aliorum iudicio ornari: deniq; in spe esse nouæ dignitatis, vel maioris commodi, quamprimum se occasio daret. Nam utilitas quoq; mirificè ad agendam inflammat homines. Et sunt quædam commoda, quibuscum & honor intelligatur, quod & antè attingimus: & honorem vulgus accipit, vt utilitatem non excludat. Vbi autem contra honestis factis aut cuiusq; arti nihil præmijs tribuitur; pleraq; improbè geri, nec vllam artium florere credibile est. Itaq; ille apud Aristophanem Chremylus rectè.

τις δ' ἔστ' ἰατρὸς ὅστις οὐκ ἔστι τῆ πόλι;
 οὔτε γὰρ μισθὸς οὐδέ τι ἔσθ', οὐδ' ἡ τέχνη.
 Quis ergo nunc medicus in ciuitate sit?
 Nec vlla namq; merces est, nec ars viget.

Constituit vero singularia etiam præ cæteris præmia, totis centurijs, & totis manipulis: atque item decurijs & quincurijs, quæ & summam fidem suis præfectis præstent, & libentissimè exercent, quæ dicta sunt: sed præmia erant, cuiusmodi in vulgus designari solent. Hæc igitur præscripserat

D 3 Cyrus,

Cyrus, atq; hæc exercitabantur ab vniuersis militibus. Militibus porro tabernacula tot faciebat, quot erant centuriones, & ita ampla, vt singulos ordines caperent, quorum quisq; continebat centum viros: atq; ita ordines centuriatim distributi erant in tabernacula. Existimabat autem hoc contubernium conferre militibus ad imminens certamen sustinendum, quod, cum viderent, se eadem ratione inter se ali, nemo habiturus esset, quod prætenderet, se deteriore esse conditione, vt quidquam remissius ageret, & aduersus hostes alius altero esset ignauior. Neque minus conferre existimabat: quod inter contubernales mutua notitia nasceretur. Ex hac enim etiam verecundiam in omnibus magis excitari putabat. Qui vero noti minus sunt, nequiores videntur esse, vt qui in tenebris latent. Præterea sentiebat, milites magnopere communi habitatione iuuari in exquisitissima aciej instruendæ ratione accipiendâ. Centuriones namq; sub se habebant cubantes centurias, vt si acies singillatim procederent; manipulorum præfecti manipulos; decuriones decurias; quincuriones quincurias. Exquisitam autem rationem aciej tenere, eô putabat conferre, ne acies interrumperetur, aut si interrumperetur, vt redintegrari celeriter posset: quemadmodum & lapides & ligna, quæ coagmenta

gumentari oporteat, etiamsi quomodocumq; dissipata confusaq; iaceant, facile quis ipsa coagmentare possit, si notis insignita sint, ex quibus quodq; eorum ex quo loco sit, appareat. Deniq; ex usu militum iudicabat esse, si cibum vna caperent, quod non facile sibi essent imperaturi, vt vnus alterum desereret: quippe qui videret etiam brutas animantes, quæ simul fuissent enutritæ, incredibili dissiderio affici, si quis vnam diuellat ab altera.

XIX. Ita ampla suis militibus tabernacula Cyrus condidit, vt centeni simul habitarent. Eius consilij quatuor referuntur causse. Primum, vt si quisque videret se eodem, quo ceteri modo haberi et ali, nemini esset, quod ignauia sua prætexeret, aut quo minus sibi, quam alij cuiquam agendum existimar. Exstimant namq; homines, iustitiæ hoc esse, in quo rectè etiam sentire videntur, vt vbi commoda inæqualiter conferantur, ibi neque similibus obstructi sint laboribus: plus sustinendum ei, qui habeat plus commodi: qui minus habeat, minus sustinendum, neq; ab hoc tantum requiri, quantum ab altero. Hæc cogitatio si in animos militum irrepserit; magnam etiam cladem vniuerso exercitui aliquando forsan intulerit. Altera est, vt innotescerent sibi inter se milites. Ignoti enim impudentius agunt & liberius peccant, vt qui in tenebris sint, neq; à quoquam conspiciantur. Perinde enim esse videtur, siue quis te non videat, siue visum quoq; non nouerit. Contra, quos inter mutua est notitia; in ipsis excitatur pudor: vt quisq; suæ existimationi metuat, alterius iudicium extimescat. Hoc enim certè ingenio sunt homines, vt si non omnes boni re ipsa esse velint, vt Amphiaræus ille, aut Aristides, aut Cato, boni tamen ad vnum omnes, nisi quis vel sceleratissimus sit vel vilissimus, haberi, honesteque de se sentiri, & dici cupiant. Aliquis igitur pudor & improbos coërcet, & ignauos ad agendum excitat.

excitat. Agamemnon igitur & ipse milites inter se reuereri iubet: qui hoc faciant, plerosq; saluos euadere: qui non faciant, etiamsi non occidant, infames tamen uiuere. Ἰλιάδ. ε.

ὦ φίλοι ἀνέρες ἔσε, καὶ ἀλκιμοὶ ἦτορ ἔλεοθε

ἀλλήλους τ' αἰδέσθε καὶ κρατεράς ὑσμίνας.

αἰδομένων τ' ἀνδρῶν πλέονες σοοί, ἢ ἐπέφαντ):

φθυγόντων δ' οὐτ' ἄρ κλέος ὄρνυτ), οὔτε τις ἀλκή.

Tertio hoc caussa habebat, ut ita multos in vno esse tabernaculo vellet; quo facilius meliusq; ordini in perpetuum studerent, & rationem aciei instruendæ numquam obliuiscerentur. Sic enim non solum hac in re se foris interdum vigilantes exercerent, sed etiam intus noctu pæneq; dormientes: cum scilicet certo cubarent ordine, & quisq; sciret, quo loco & ipse essent, quo item quilibet contubernaliū: semperq; se inferiores ad præfectos referrent, ipsiq; præfecti ad suos quisq; milites respicerent: idq; non minus ferè, quàm si acies duceretur. Qui ita omnem rationem ordinis tenerent; hos in acie suum locum seruatuos facile: si turbarentur, se recepturos tamen in aciem non magno negotio. Postremo ita sentiebat, qui vna uiuerent, amare se inter se, neq; leuiter vnum deserere alterum. Neq; enim verisimile esse; cum brutæ animantes inter se notæ, mutuo desiderio teneantur, neq; se patiantur vltro diuelli, homines sibi inter se minus fideles futuros.

XX

Ceterum curæ etiam Cyro erat, ne vnumquam, nisi ante sudassent, ad prandium aut ad cænam accederent. Aut enim eos venatum educebat, quo sudarent, aut ludos eiusmodi, quibus sudarent, proponebat, aut si quid aliud factò opus esset, ita ipse princeps aliud negotium aggrediebatur, ut non, nisi sudore prouocato; reuenterentur. Hoc enim ijs vtile, iudi-

iudicabat, vt libenter cibum caperent, vt valerent rectius, vt vires ad labores confirmarent: atq; ipsos labores iudicabat vtilis, vt inter se modestius viuerent, quod & equi, qui simul laborarint, stabulent inter se tranquillius. Deniq; aduersus hostes maiores animos sumunt, qui sibi mutuae exercitationis militaris conscij sunt.

XX. Consilium aliud Cyri exponitur, vt milites non nisi sudantes ad cibum accedere voluerit: quibus modis hoc perfecit: deniq; quid in hac re boni inesse putauerit. Primum autem, qui famem obsonarit; libentius, hoc est cum voluptate comedit: qua carent, quin contra nausea abundant, qui prius, & edunt & bibunt, quam aut esuriant aut sitiant. Atq; hoc nomine in Hercule Prodicij primo ἀπομυρ. virtus exagitat voluptatem: qua & in his & in alijs plerisq; sibi minimè constet, vera suauitatis expers, plena molestiarum & dolorum, tum quoq; quando ipsa sibi florere videtur maximè. Nam de exitu in dubium non venit, voluptatem ipsam esse minimè, sed perniciem & calamitatem. Secundo, sudor siue laborum intentio valetudinem militum tuetur: mediocris autem laborum etiam nostram, quod defatigatio quoq; vires prosternat non solum corporis, sed & ingenium debilitet, non minus, quam quod somni nimium est, vt & Plato VII. de republica scripsit. κόποι ηἷ ὑπνοὶ μαθήμασι πολέμοιοι. id est: lassitudo & somnus disciplinis aduersantur plurimum. Tertio facit ad corroborationem virium. Quod enim exercetur potissimum; in eo quisq; indies seipso efficitur praestantior: quiq; hac de re subtilius disputant, habitum hoc modo comparari docent: bonum, si in bonis principijs, siue fundamentis te exerceas; malum, si secus. Quartum est, quod labores animi exultantibus motibus veluti frenos iniiciunt, ipsumq; animum paullatim domant, nosque in quotidiana consuetudine reddunt mitiores: contra autem otio &

E

luxu

luxu exasperantur animi, ut & ipsi insolescant, neq; ab alijs tractari se patientur, quod omnem conuictus rationem perturbat mirificè, sepeq; euertit funditus, ac propterea in nulla societate ferri potest. Postremum erat, cum militibus notum sit inter ipsos, quantum quisq; & possit viribus & animo audeat; hoc omnibus omnem trepidationem excutit, & simul animos addit audacter inuadendi hostiles copias.

XXI.

Cyrus porro ita amplum sibi tabernaculum extruebat, quò, quos vellet, cena facile exciperet. Vocabat autem plerumq; centuriones, quos ipsi videretur commodum: nonnunquam & aliquot ex præfectis manipulorum, ex decurionibus, ex quincurionibus vocabat: aliquando etiam aliquos ex priuatis militibus: aliquando vniuersam quincuriam, aut vniuersum manipulum, aut centuriam vniuersam. Vocabat autem & colebat, quoscunq; animaduertisset ea fecisse, quæ ab omnibus vellet fieri. Iam semper eadem epulæ & ipsi apponebantur & ijs, quos ad cenam vocauerat: quin & eos, qui ministrarent in exercitu, semper omnium æquè participes faciebat. Censebat enim non minus colendos esse rerum militarium ministros, quàm aut præcones, aut legatos. Putabat enim oportere hos quoque esse fidos, scientes rerum militarium, intelligentes: atq; insuper acres, celeres, impigros, non conturbatos animis: statuebat deniq; Cyrus, fas esse, ut quæ, qui habentur optimi habent, etiam ministri habeant,

beant, & in hoc se exerceant, ne vllum opus declinent, sed ipsi sentiant, suarum partium esse, omnia facere, quae praefectus iubeat.

XXI. Explicatum est superius consilium, vt milites esse iusserit veluti ὁμογάλακτας: sequitur aliud, vt mirifice sibi deuincire, & ad agendum paratissimos reddere statuerit, quotquot erant in exercitu Persico. Amant homines & plurimi faciunt, à quibus se coli intelligunt, sibiq; necessaria affatim praebere: neq; alijs parent libentius. Quo igitur militibus sui erga ipsos animi affectionem singularem plenius probaret, dignabatur eorum, quotquot honore digni quoquo ad tempore viderentur, tum ex ijs, qui praessent, tum ex priuatis militibus, non solum vultu & alloquijs, sed & mensa & sermone humanissimo atq; salibus condito. Hinc intelligebant, se non tantum socios laborum haberi, sed spem animo certam concipiebant, futuros & fructuum participes: sibiq; persuadebant, se iam tum ex humiliore loco ad honoratiore cuchi, & quodammodo aut regi aut à rege proximis pares effici. Sed astutius fuit consilium, neq; tamen fraudis infectum notis, sed plenum prudentiae, beneuolentiae & humanitatis, quod idem colendos quoq; sibi, qui infra milites essent, ipsiq; famularentur, censuit haud vulgariter, non minus scilicet, quam praecones publicos vel legatos; neq; passus est, eos quidquam omnium desiderare, quibus fruerentur ipsi milites. Sic enim tales facile euaderent qui & imperatori & militibus maiori vsui essent, neq; subterfugerent vllum laborem, aut imperata recusarent. Intelligentes autem vocat, qui si nesciant, quid faciendum sit, tamen alios audiant, & quod in rem consulatur, statim dijudicent. Haec enim est σύνεσις καὶ ἐνθυνησις, vt nos docet philosophus, vbi prudentiae naturam & uim explicat. Ἀλέγχοι porro sunt, vacui perturbatione animi, qui sponte faciunt officium, non metu: neque insensi sint, neq; inuideant, quibus inserviunt.

E 2

Semper

XXII. Semper igitur curæ erat Cyro, cum quos cena in tabernaculo excepisset, ut conuiuio sermones aspergerentur venustissimi, quibus simul ad virtutem alij excitarentur. In hunc igitur aliquando sermonem incidit. Nobisné, inquit, amici, propterea inferiores esse videntur cæteri, quod non eo, quo nos modo, instituuntur? an & in consuetudine familiari, & quando cum hostibus dimicandum erit, nihil inter vos & illos erit discriminis? Ibi Hystaspes: ego, inquit, cuiusmodi aduersus hostes futuri sint, nescio: in conuictu equidem eorum aliqui apparent satis morosi & difficiles. Nuper, inquit, in singulas centurias misit victimas Cyaxares, è quibus, dum circumferrentur, cuiq; nostrum tres offæ, vel etiam plures, obtingerent. ac quidem, cum eas primò circumferret, à me initium fecit coquus: qui cum, ut secundo circumferret: procederet, ab ultimo ipsum initio factò, circumferre ex contrario iussi. Tum igitur ex medio circo militum discumbentium sublato clamore quispiam: profecto, inquit, nihil horum æquum est, si nunquam à nobis, qui in medio circo sedemus, ordietur. Quod cum audissem, grauitè tuli, quòd viderentur sibi de teriore conditione esse. Itaq; illum ad me subito vocaui: neque non ille mihi satis modestè paruit. Vbi, quæ circumferebantur, ad nos venissent, minutissimæ erant

erant reliquæ: opinor, quoniam nos sumpturi eramus
 ultimo. Ibi igitur ille, quantopere animo crucia-
 retur, non iam tegere poterat, & secum ipse loquens:
 fortunæ improbitatē, inquit: meū huc vocatum nunc
 esse? Tum inquam ego: ne hoc tibi molestum sit. Iam
 enim à nobis initiū faciet, tuq̄ prior offam maximam
 capies. Interea tertium ille circumferebat, quod de
 illis ferculis supererat. Hic igitur secundus à me
 sumpsit: sed cum tertius sumeret, visusq̄ esset ipsi
 sua maiorem accepisse; reiecit hanc, quam sum-
 pserat, sumpturus scilicet aliam: sed coquus, obsonio
 non egere ipsum ratus, præteribat ferens alys, an-
 tequam ille sumeret. Ibi hoc tam grauitè tulit, cum
 illi & ea, quam sumpserat, perisset, ut quod habebat
 reliquum intinctionis præ nimia animi commotione,
 & aduersus fortunam graui indignatione, effuderit,
 Tum præfectus manipuli, qui nobis assidebat, pro-
 ximè, complois manibus, effusè risit. Sed ego, inquit,
 tussire me simulabam, quòd ne ipse quidem risum
 possem continere. Eiusmodi igitur, Cyre, inquit, so-
 cium tibi ostendo. Super hac igitur re, ut fit, riserunt
 affatim.

XXII. De condimentis conuiuū plura possent dici, sed alio loco com-
 modius. In ceteris est sermonis urbanitas. Nam ab epulis
 non minus, quam ab omni viua, quicquid agreste est, aut scurrile,
 merito exterminatur. Xenophon venustatem siue gratiam no-

minat: quæ est εὐσπλαγία, ingenij elegans celeritas. Sicut enim agilitas non leuis, in motu membrorum corporis probatur: ita & dexteritas animi cum semper, tum in conuiujs maxime, quod hæc hilaritatis gratia instituuntur, & grata est, & locum habet. Hanc summam ingenij suauitatem in Xenocrate Agrigentino predicat in Pythijs Pindarus, qui cum conuiujs eleganter ueretur, cuius oratio vel fauos æquaret, vel, ut ipse loquitur, cancellato apum responderet operi. Indicare, opinor, voluit, Xenocratis sermonibus nihil fieri potuisse dulcius, nil arte perfectius, quæ & animum & mentem afficerent, cum hæc admirabunda indicet, ille velut sensu oblectetur: planè ut mella apes in cellulis summo artificio ad sex angulos elaboratis condunt: quorum hæc oculos pascant, illa palatum iuuent. γλυκῆα δὲ φέρη inquit, καὶ συμπόταισιν ὁμιλῆρ: μελιώαυ ἀμείβετῃ τρεκτόρ πόνου. Par est hoc in Cyro, vel etiam maius. Vult enim, non, ut carmen Musicum vel ipsius Demodoci, aut aliud, qui itidem credatur, ut Homerus de illo cecinit, dijs par esse canendo, postquam cælestibus delicijs aures animosq; nostros exsaturauerit, perire, vel alio auolare, neq; iam amplius aut sanè non admodum ad nos pertinere: nec præter solam voluptatem præterea commodi quidq; percipi ex salibus conuiuij, sed hos tales esse vult, ut in posterum & perpetuo prosint: quod fit, si ioci liberales non aspergentes solum animos conuiuantium, sed ipsi rore simul sapientiæ conspersi, vitæ nostræ emendationem simul respiciant. His consentanea sunt, quæ infra dicuntur, miscuisse Persas ioca & seria in conuiuio, non videlicet officij minore, quam voluptatis ratione habita.

Alius deinceps quispiam centurionum cœpit dicere: Hic igitur, inquit, Cyre, in hominem vsque adeo morosum incidit: ego vero, postquam tu nos edoctos à te rationem instruendæ aciej ablegasti, iubens, ut quæ ex te de hac re didicissemus,
suam

suam quisq; centuriam doceret; sic igitur & ipse,
 sicut & alij faciebant, accessi, vt vnum manipulum
 docerem. Quare cum præfectum primo loco collo-
 cassem, statuissemq; deinceps secundum eum adole-
 scentem viribus præditum, aliosq;, vt rectè fieri iudi-
 cabam: cumq; iam constituissem, vt omnes in conspectu
 haberem: oculis in manipulum coniectis, quando id
 mihi opportunum videbatur, iussi eos procedere.
 Ibi adolescens ille processit ante præfectum. Quo
 viso, inquam ego: mi homo, quid agis? Procedo,
 inquit ille, vt tu iubes. At ego non te, inquam, solum
 iussi, sed omnes procedere. Tum hoc ille audito, con-
 uersus ad manipulares: an non auditis, inquit, iubere
 hunc, vt omnes procedamus? Atq; homines illi omnes
 antegressi præfectum manipuli, ad me adierunt. Ve-
 rum vbi præfectus eos in priorem locum repulisset;
 grauitè hoc ferentes: vtri igitur, aiebant, nos dicto
 audientes esse oportet? Iam enim procedere hic nos
 iubet, alter vetat. Tuli sanè hoc æquo animo, ipsosq;
 denuo collocaui, & interdixi, ne quis eorum, qui poste-
 riore loco starent, se loco antè moueret, quàm prior
 præcederet, atq; hoc omnes aduerterent, vt quisq; se-
 queretur præcedentem proximè. Porro, cum pro-
 fecturus in Persiam aliquis me adisset, & epistolam
 poposcisset, quam domum scripsissem: tum ego præ-
 fectum

fectum manipuli, quod sciret quo loco sita esset, iubeo
 curriculo afferre epistolam. Hic cursui se dedit, nec
 non iuuenis ille præfectum sequebatur, ita loricator
 & accinctus ense: vniuersus denique manipulus, quod
 hunc sequi vidisset, vnâ excurrit: itaque aderant fe-
 rentes epistolam. Sic tibi, inquit, manipulus meus, pul-
 cre callet omnia à te tradita. Ceteri igitur, vt fit,
 ridebant, à tot satellitibus allatam vnâ epistolam.
 O Iupiter, inquit Cyrus, & dij omnes, cuiusmodi nos
 habemus socios? qui deuinciri tam facile possint, vt
 ex ijs perquam multos liceat amicos conciliare vel
 modico obsonio: atque aliqui horum ita sint ad obse-
 quia parati, vt prius etiam obtemperent, quàm impe-
 rata cognouerint? equidem nescio, ecquis optet, sibi
 alios potius obuenire milites, quàm eiusmodi? Ita
 Cyrus simul ridens collaudauit milites.

- XXIII.** Carpitur hac & superiore quoque narratione ingenij stupor
 & ἀβουεσία Medorum: quæ vitia radices egerant, educatione
 liberali prorsus ommissa. Hinc igitur magis apparet, quantum
 boni sit in recta educatione, in quoque genere vitæ, à puero insti-
 tuta. Pueriles annos egrediuntur, non etiam animos pueriles
 & mores exuunt, qui non instituuntur paullo liberalius: in eius-
 modi hominibus non solum nihil est consilij, cum neque prudentia
 sint præditi; neque aspexerint res humanas, quarum illa mode-
 ratrix est, sed ne quidem aliquid intelligentiæ, quæ accipiat &
 discernat, quæ prudentes iubeant. Hoc mali ἀβουεσία appel-
XXIV. latur. Contumaces aut pigri famuli, & nihili sunt & vitupe-
 rantur: præcipitis aut hebetis ingenij serimus, atque in ipsis prom-
 ptum

ptum animum probamus & collaudamus. Rectè igitur hic quoq;
Cyrus. Huius indolis est & ille libertus comicus, qui neque
dum mandato heri audito, se omnem sententiam percepisse, affir-
mare non dubitat, cum inquit: dictum puta. Cum ita celeribus,
neq; planè mandata accipientibus ministris, confert Aristoteles
iram, quæ audiat ex parte rationem, sed negligenter & confuse
audiat, quemadmodum præproperi ministri, qui antè, quàm id
omne, quod dicitur, audiant, excurrunt, atq; iccirco aberrant ab
eo, quod faciendum fuerat: aut vt canes, qui priusquam atten-
derint, an amicus sit nec ne, qui vel fores pulset vel ingrediens
perstrepat, latrant: & reliqua. Verum hæc sunt alterius loci,
& disputationis subtilioris

Erat in tabernaculo quissiam ex centurionibus,
nomine Aglaitadas, moribus omnino asperioribus, qui
ita ferè aiebat. An tu, Cyre, arbitraris hos hæc vera
dicere? Quid, autem, inquit Cyrus, respiciant men-
tientes? Quid aliud, inquit, nisi vt hic risum excitent,
dum hæc commemorant, & gloriantur? Bona verba,
inquit Cyrus, ne hosce gloriosos esse dixeris. Gloriosus
namq; mea quidem sententia, de ijs dicitur, qui si-
mulant se aut diuitiores esse, quàm sint, aut fortiores,
quiquè omnino maiora pollicentur, quàm præstare
vnumquam possint: idq; faciunt haud obscure non aliis
rei gratia, quàm emolumentis & lucri. Qui vero
alijs risum suppeditant, neq; sui commodi causa, neq;
vt audientes iniuria afficiantur, neq; vt quempiam
lædant: cur hi ipsi non iustius Urbani dicantur & fa-
ceti homines, quàm gloriosi? Ita Cyrus eorum, qui ma-

E teriam

veriam ad ridendum dabant, caussam ipsi dicebat. Tum centurio ille, qui lepidum manipuli facinus narrauerat: Equidem, inquit, Aglaitada, si ad fletum te perducere conaremur; supra modum nobis succenseres: sicut alij, vel carmine vel oratione res miserabiles, etiam fabulosas, complexi ad lacrymas alios conantur impellere. Iam vero, etiamsi satis ipse scias, velle nos, te exhilarare, & minimè ledere, nihil minus perquàm contumeliosè nos accipis. Per Iouem, inquit Aglaitadas: neq; id iniuria: siquidem, qui amicis risum commouerit, rem multis ille mihi modis leuiorem fecisse videtur, quàm qui eosdem ad fletum adducat. Tu quoq; ipse offendes me vera dicere, si rem recta via apud animum reputer. Fletu sanè, & patres filios modestos reddunt, & magistri pueros bonis disciplinis imbuunt: quin leges ipsæ ciues ad iustitiam fletu adigunt. Quid contra habes, quod de eis dicas, qui risum excitant? nunquid corpora firmiora, an animos ad rei familiaris procurationem, aut ad remp. capeffendam peritiores efficiunt? Hytaspes in hanc deinceps sententiam locutus est: tu inquit, Aglaitada, si me audias, rem istam tanti precij, in hostes sine dubitatione impendas, ipsosq; ad fletum adigas: nobis autem, inquit, in hac amicorum consuetudine, rei illius vilissimæ, risus videlicet satis, prorsus

prorsus liberaliter depromas. Habere te namq; per multum conditum sat scio. Neq; enim insumpsisti, quo tibi non utaris: neque amicis hospitibusue vltro risum præbuiisti. Itaq; nihil planè habes, quod prætextas, quo minus nobiscum risum communices. Ibi inquit Aglaitadas: tu quoq; Hystaspe, meñ conaris facere ridiculum? Tum centurio: itaque, inquit, non satis sanus est. Quoniam ex te, ni fallor, ignem quis facilius expresserit, quàm risum euocarit. Hoc igitur & alij riserunt, quibus illius notum esset ingenium: atq; ipse subrisit Aglaitadas. Cyrus & iam, vbi vidit, eum hilariorē esse: iniuriosus es, inquit, centurio, qui nobis corrumpas virum grauisimum, cui persuaferis ridere, cum antè ita risui inimicus fuerit. Atque hic tum huic rei fuit finis impositus.

In Aglaitada ingenio fingendo, vel alucinata fuerat natura, vel si quod illa dederat, educatio non expoliuerat aut corrumperat. Inducitur autem & morosus, & de moribus non rectè existimans. Morum austeritas ex ceteris omnibus apparet, prauum eius de vita iudicium ex hoc: quòd qui risum mouerant, idq; non scurrili ratione, alazonas siue ostentatores nominauit: si namq; aliud vidisset; eos γελοποποιοῦς, vel ludiones, vel leuiusculos appellare poterat: quod sepe faciunt maleuoli, idemque astuti homines, vt quæ virtus sint, in finitimū aliquod vitium commutent: vt si liberalem, prodigum; parcum, sordidum; fortem, temerarium; elegantem, effeminatū dicas. quod & in contrarium valet, vt vitia amicarum amatores virtutum nominibus insigniunt, vt est apud Platonem et apud Lucretium. Alazon quis sit, declarat ipse Xenophon, qui omnia sua amplificet, suā utilitatem

sive gloriam spectans : quamquam & aliud eorum genus est , quæ sibi itidem maiora , quàm in se habent , vendicant , nullo alio consilio : similes improbis , quoniam mendacis delectantur : sed leues potius & nugatores , quam mali esse videntur , ut ait philosophus , ex cuius fontibus aliquando seorsim rivulos deduximus , cum de tribus ὀμιλιτικαῖς virtutibus pauca designauimus . Ea huc non incommodè transtulero . Appellatur autem illo nomine , quod perpetuus earum usus est in consuetudine hominum . Neque vero nunc disputabo , veræne sint virtutes , an tantum harum imagines vel similitudines aliqua : hoc constat , mediocritates esse , valde item inter se similes , & in communicatione sermonis , & actionum versari . hæc habent communia : sic vero differunt , ut una harum in veritate omnium , quæ dicimus & facimus , posita sit ; reliquæ duæ in iucunditate eorundem : sed non tamen eodem modo : posteriorum enim una est in ludo iocoq̃ : altera in cunctis ceteris vitæ partibus . Sed iam ipsas hasce virtutes sive mediocritates , neq̃ non quæ in illis rebus sint extrema , videamus . Magis enim hoc pacto illucescet , mediocritatem esse in omnibus rebus rectissimam , & maximè laudabilem . Primum de veritate , quam cuiusmodi intelligamus , perspicuū erit , ubi ipsum veracem descripserimus . Non autem de eo verace dicimus in præsentia , qui est seruans contractuum , & in ijs datam fidem non fallit , quæ spectant ad iniustitiam & iustitiam : hic namq̃ non solum verax , sed & iustus appellabitur : sed qui ceteris omnibus , ubi non usq̃ adeo referre videretur , & verbis & factis ἀληθεύει , hoc est se veracem præstat , neq̃ simulans vlllo modo , quæ non sint , neq̃ dissimulans , quæ sint . Qui simulat , & maiora efficit vel vultu , vel verbis , vel actione , vel quocunq̃ modo , quam vel ipse sit , vel sint ipse res , nominatur ἀλαζών , iactator scilicet & gloriosus , quales sunt apud comicos Pyrgopolynices & Thraso . Neq̃ vnum est iactatorum genus . Sunt aliqui horum eiusmodi nullius rei gratia , homines non tam mali , quàm vani : alij gloriæ & honoris causa , qui non probari sanè possunt , sed tamen non nimium sunt reprehendendi : tertij ob questum , quò genere nihil est deformius .

Dissimu-

Dissimulatores sunt, qui extenuant seipsos & sua: hi non in-
 currunt in grauem reprehensionem: imò videntur moribus po-
 litis, cum videantur à se omnem fastus suspicionem remouere: quo
 nomine celebratus fuit maximè Socrates. Sed sunt in his poste-
 rioribus, qui minuta, quæq; manifesta sunt, tegere velint, et infitia-
 ri conentur, homines sanè odio digni, haud vulgaris iactandi artis
 repertores. Secundum est, vt dicam, quo pacto omnes vitæ partes
 suauitate aliqua condiantur, quam virtutem amicitiam, neces-
 sario magis quàm proprio nomine appellat Aristoteles, nos non
 malè opinor, humanitatem dixerimus. Est quoddam genus ho-
 minum, qui in consuetudine & conuictu, & in sermonis nego-
 tiorumq; communicatione omnia gratificantur omnibus, omnia
 collaudant, quæ alijs placere putent, neque cuiquam, vbi vel ma-
 ximè opus sit, aduersantur, sed ita sibi persuadent, molestiæ nemini
 omnium quidquam esse creandum. Sunt autem hi rectè viuendi
 rationis imperiti: sed tum etiam improbi, cum suam interea
 rem agunt, & alijs propterea plus tribuunt, quàm conueniat,
 quàmq; illi in se habeant, suæ utilitatis causa. Hic est ille Me-
 nandri Colax & Terentij Gnatho. Contra sunt alijs, qui leuissima,
 vel etiam nulla de causa adoriuntur quemlibet, & penè omne
 suum studium ponunt in carpendis, & reprehendendis alijs: neq;
 ijs curæ tantillum est, quo minus cuiquam dolorem quacunque
 ratione inurant, nullo loco neq; fugitantes litium, neq; studiosi be-
 neuolentiæ, quæq; ex hac oritur, suavis coniunctionis. Medius
 inter hos est humanitate præditus, siue amicus, non ille, qui al-
 terum animi affectione prosequitur, de qua longè alia esset institu-
 enda disputatio, sed hic, qui pariter se erga hospites & notos, erga
 familiares & alienos, erga aliquem è media plebe & principem
 reip. geret, sed erga quemq; horum, vti conuenit, dabitq; operam,
 vt consuetudinem omnium vel suauitate afficiat, vel nulla re mo-
 lestet: neq; discedet tamen in hoc suo instituto ab honestate, sed
 semper, tum quid honestum sit, tum quid conferat dispiciet; immò,
 quod cui erit dedecori, aut damnum importabit, in eo se dabit ne-
 mini, sed malet alterum, vt vir bonus, neq; tamen incautus, offen-

dere: vt in pauca conferam, humanus idem erit & grauis: humanitas suauitatem in conuictu parit; grauitas tuetur honestatem, & utilitati vnâ consulit. Improba autem indulgentia est, quæ vitæ commoda euertit, & fenestram vitis patefacit. Dicamus & de tertia. Vt recreando corpori somno, ita & animo opus est vacatione à curis & negotijs, ac requiete aliqua, quæ cum sit in ludo & ioco, concinnè quoq; & non indecorè fieri arbitramur, vt etiam ludentes & dicamus & audiamus & cuiusmodi, & quemadmodum, tum dici, tum audiri, rectum est. Scurræ sunt, qui vndecunq; aucupantur ridicula, & potius hoc student, vt risum moueant, quàm vt acutè quid dicant, aut neminem laceffant; neque in hoc aut loco aut tempori, aut dignitati cuiusquam parcunt, sibiq; hanc licentiam sumunt, neq; in eo se peccare arbitrantur, & quemlibet, & quacunque in re ludificandi. Hoc equidem est perquam impurum genus hominum, horum maxime, qui ex turpibus & obscænis risum excitant: alterum autem rusticum, eorum scilicet, qui neq; eleganter alios queunt tangere, neq; morsiuunculam, quantumuis nihil vulneret, accipere, partim præter modum morosi, qui nihil perpetiantur, partim stipites, qui nihil agant. Reliqui sunt urbani, Græcis εὐτρεπέλοις dicti, qui ea iocantes dicunt in alios, & ex alijs audiunt, quæ digna sint homine libero, & viro æquo bono, in quibus nihil insit impuri, nihil etiam fellis, sed ingenij aliquid, & aliquid festiuitatis: quæ dexteritas in admodum etiam paucos cadit. Tantum de hisce tribus mediocritatibus, consuetudine mortalium valde accommodatis delibasse hoc loco sufficiat, qui pleniorẽ explicationem non capiebat.

XXVI. Præterire non debeo, quin indicem, vt præstantissimus reip. Atheniensis gubernator & magister dicendi cruditissimus hunc locum commendauerit, simulque explicauerit, in libro de elocutione. Sæpe etiam, inquit, res ipsæ natura iniucundæ sunt & inuisæ; sed ab eo, qui loquitur, fiunt hilares: quod primum apud Xenophontem videtur inuentum esse. Cum enim sumpsisset personam à risu penitus abhorrentem & admodum odiosam, Aglaidam

Adam Persam, risum ex eo inuenit lepidum: facilius est, inquit, ignem ex te excudere, quàm risum. Valct autem hac venustas plurimum, estq̄ potissimum posita in arbitrio loquentis. Res namque ipsa erat valdè odiosa, & inimica lepôri, quemadmodum & Aglaitadas. Hic autem veluti patefacit, è talibus etiam rebus posse iocum elici, quemadmodum & à calido refrigerari, contra calefieri à frigidis. Hæc Demetrius.

Deinceps vero Chrystantas ita dixit: Ego Cyre, & amici, quotquot adestis, sic sentio, exisse nobiscum, & præstantes viros, & alios cum his non admodum comparandos. Iam si qua nobis obueniant comoda, vniuersi eorum æquè participes esse volent.

XXVII. Atq̄ ego nihil iniquius esse censeo in omnibus rebus mortalium, quàm malos & bonos pari conditione censeari. Ad hoc dixit Cyrus: nōne igitur nobis per deos satius est, amici, hoc ipsum ad deliberandum in exercitu proponere: vtrum, si quid Deus boni largiatur ex laboribus, in omnes esse partiendum æqualiter, an cuiusq̄ factis consideratis, honores cuiq̄ ad illa relatos decernendos videatur. Quid opus est, inquit, Chrystantas, hoc ad deliberandum proponere, neq̄ potius præscribere, te ita facturum? nōne, inquit, tu & certamina præscripsisti, & præmia? Atqui, inquit, Cyrus, non eadem esse videtur huius rei, quæ illius ratio. Opinor namq̄ milites, quæ ipsi acquisuerint, communia esse sibi, arbitratos. Imperium exercitus, cum iam olim genere mihi debitum, meum esse sibi persuadeant

etiam

etiam me iniuste facere, cum praefectos ipse constituo, opinor, non existimabunt. Tunc vero credis, inquit Chryfantas, concionem vniuersam militum, hoc decreturam, vt non sint paria omnium commoda, sed primi honores & fructus fortissimis destinentur? Hoc, inquit Cyrus, omnino facturos censeo: tum quia & vos idem statuitis: tum quia turpe foret dicere: eum, qui plurimos labores toleret, & magis procuret bonum publicum, non ornari etiam conuenire maxime: quin opinor, inquit, ignauissimis etiam visum iri, ex usu futurum, vt fortiorum melior sit conditio.

XXVII. Apud Xenophontem nostrum in oeconomico in eandem hanc sententiam Ischomachus: Prorsus, inquit, mi Socrates, animis mihi concidere boni videntur, cum vident omnia a se administrari: neque minus tamen iisdem praemijs eos affici, qui, quodcumque opus sit, nihil velint neque laboris subire, neque discriminis. Nullum genus vitae ab hac querela vacuum est: sed queruntur maxime quique de rep. cum domi tum militiae optime meriti. Ipse etiam Achilles se negligi ab Agamemnone indignatur. Neque Agamemnon, inquit, neque Graeci mihi persuaserint, vt manus cum hostibus conseram, cum videam nihil iniri posse gratiae. Eadem est conditio, & eius, qui in praelium non descendat, & alterius, qui promptissime dimicet: eodem honore afficitur ignauissimus quisque miles, quo fortissimus: qui nihil agat, quique res maximas gesserit, vterque morte obita, eodem loco habentur. Mihi quid repositum dicam esse praemij? & cetera, quae sunt v. l. quorum partis sententiam meis verbis expressi. Hac autem aetate querela paene est grauior bonorum: praemijs potiri malos potissimum & nocentes patriae: bonos viros, beneque de rep. merentes maectari infortunio. Quae res principibus cordi esse debebat: vel, vt posteritati consulamus, filij

filij principum ab incunabulis erudiri de hac iustitia maxime. Iam de ipsa iustitia, eiusq; generibus hic dici commodum erat, sed omnia vno loco explicari non queunt.

XXIX. ἢν τι ἐκ τῶν πόνων δῶ ὁ θεὸς ἀγαθόν. Diuinitus dictum, & sepe repetitum à sapientibus: neq; ignavis tribuit Deus sapientiam, virtutem, ceteraq; bona, quæ vendit ipse laboribus, secundum illud nobile Epicharmi verbum: neq; qui nihil omnium omittat, sine ope cælesti, consequitur quod vult, vt qui nauem paravit, velum expanderit, sine vento secundo minimè nauigat. Hi impij sunt; illi ignaui, vtriq; deo inuisi. In hos est illud ab Æsopo confectum, vt bubulcus, cui plaustrum graue in profundo luto hæssisset, confidens in vicinum collem desperabundus, alta voce Herculem inuocauerit: vt Hercules iusserit pigrum hominem, manus humerosq; rotis, stimulum bobus admouere: sic se opitulaturum. Ita apud Aschylum Eteocles: μή μοι θεοὺς καλῶσα βουλεύου κακῶς. Ne implores deos, cum interim malè rebus ipsa consulas. Hinc admirabiliter, vt omnia, Pindarus Pyth. IIX. victoriam ἀρπαλέαυ δόσιπ nominat: munus quidem Apollinis, quod non tamen obtingat, nisi labore ipsum rapienti.

Cyrus huiusmodi decretum & propter ipsos homotimos volebat fieri. Futuros enim eos præstantiores existimabat, si scirent, se iudicio de suis egregijs facinoribus factò, adepturos præmia, quæ mererentur. Quare ipsi videbatur iam opportunum hac de re calculum ferre: sed neq; ius sententiæ dicendæ in hac deliberatione par esse homotimi volebant ceteris militibus. Itaq; & ipsi Cyro videbatur, vt hanc rem ad deliberandum proponeret ijs, qui tum essent in tabernaculo: iamq; suadere hanc legem oportere aiebant neminem, nisi qui se virum fortissimum

G

pro-

profiteretur. Ibi centurionum subridens aliquis: Ego inquit, plebeium militem noui, qui vobis suffragabitur: non oportere sine discrimine omnes equali esse conditione. Quæsiuit vicissim alius, quemnam diceret.

XXX. Respondit ille: est certè aliquis ex meis contubernali-
bus, qui in quaque re maiorem partem habere expetit. Denuo quærit alius: an & ex laboribus? Minimè gentium, inquit ille: hic ego manifesti mendacij conuincor. Semper etenim prorsus æquo animo, quemq; modo quis velit, sibi plus laborum quæq; huius generis sunt, habere, permittit. At ego, inquit Cyrus, id genus hominum, qualem hic iam dicit, si exercitum velimus industrium habere & obedientem, exterminandum esse è nostris copijs censeo. Pleriq; enim militum eo mihi ingenio esse videntur, vt facile sequantur, quo quis eos ducat. Iam viri egregij hoc student, vt eos ad egregia facinora ducant: contra mali ad mala. Verum prauis multo plures sæpenumero in suam sententiam pertrahunt, quàm boni. Improbis enim per obuias voluptates velut iter instituens, earum opera, multis persuadet, vt sibi assentiantur. Virtus contra, cum ardua via ducat, ea non est auctoritate prædita, vt quos repente secum, temerè sequentes, pertrahat, præsertim si alij sint, qui contra ad prona & mollia cohortentur. Quod si qui forte oscitantia

aut

XX XI.

aut pigritia ignavi sunt; hos ego tanquam fucos socijs victum præripere iudico: qui vero susceptos labores non æquè tolerant, & potiore conditione flagitanda acres sunt & impudentes: hi vel duces esse possunt ad improbitatem. Sæpenumero enim conditionem improbitatis potiore efficerent. Quare, qui eiusmodi sint, omnibus modis nobis exterminandi sint. Neq; vero solliciti sitis, quomodo è civibus suppleatis ordines: verum, quemadmodum equos, qui optimi sint, non qui domi nati, quæritis; sic & hominum eos sumite ex omni genere, qui maximo vobis præsidio & ornamento esse videantur. Id ex usu esse, vel illud mihi testimonio erit: quòd neq; currus procedat celeriter, cui equi iungantur tardiusculi: neq; quidquam iustè fiat, si ad rem iniusti adsiscantur: neq; domus rectè administratur, quæ improbis famulis vutatur: quin illa minus laborabit in penuria famulorum, quàm si ab improbis perturbetur. Pro certo, inquit, amici, habere vos velim: non solum hoc boni esse in improborum exterminatione, quòd ipsi mali abfuturiam sunt, sed etiam, quod qui manent, et si vitijs infecti fuerint, denuo ea exuent: atq; insuper boni, qui malos notari viderint, multo promptius virtuti incumbent. Ita inquit Cyrus, cuius sententiam & probabant, & sequebantur omnes.

XXX. Iniusti sunt ὡλεονεκταί: id est cupidi melioris conditionis inter aequales, qui itidem duobus propositis malis, sibi quod minus est, sumunt: quo nomine & μείονεκτῆρ dicuntur, id est minus velle, quamquam reuera ὡλεονεκτῆσσι. Sic in molestijs, laboribus, sumptibus, periculis, quæ minora facilioraq; sunt, agrè tamen, sibi adsciscunt: immò, ubi possunt, omnia declinant & studiosè subterfugiunt: neq; tamen non in honores & commoda potiora inhiant. Hoc est genus hominum iniustissimum, factumq; ad euertendam aut turbendam societatem mortalium.

XXXI. Hæc per se luculenta sunt, & passim clarè expressa ab omni genere bonorum scriptorum: tum quæ de difficili ad virtutem aditu procliuq; ad vitium via, tum quæ consuetudine malorum dicuntur. Prior locus totus Hesiodæus est, in quo & verbum poëtae lucet. Certè enim μακρὸς κτ' ὄρθι & οἶμος ἐπ' αὐτῆρ, καὶ τρηχὺς τοπρῶτορ. In contrarium familiaritatem improborum multum posse, exemplo cohortationeq;, nihil mirum ob eam causam, quæ hic explicatur. Itaq; priuatim ab ijs arcendi sunt ab ineunte ætate pueri, neq; publicè ferendi, quod pluribus duces ad iniuriam & auctores seditionum esse possunt.

Deinde iterum iocosè cauillari cæpit. Cum enim aduertisset quendam è centurionibus adduxisse secum ad cenam, & prope se collocasse, hominem supra modum hirsutum supraq; modum turpem, nominatim compellans centurionem: An & tu, Sambaula, inquit, more græco, hunc adolescentulum, qui tibi assidet, circumducis, quoniam bellus est. Equidem, inquit Sambaulas, eius consuetudine & conspectu delector. Hoc audito in hominem conuerterunt oculos, cumq; viderent, nihil illo fieri posse vultu turpius, riserunt vniuersi. Tum quispiam, per deos, inquit Sambaula,

bacula, qua tandem re hic homo te cæpit? Hoc vobis, inquit, amici exponam. Quoties eum vocavi, siue noctu, siue interdiu, numquam ille mihi occupationes prætexuit, neq; pedetentim paruit, sed semper curriculo: quotiesq; ipsi aliquid faciendum imperavi, sine sudore nihil ipsum vnquam effecisse vidi: hos vero etiam duodecim eiusmodi reddidit, non verbis à se, sed re ipsa eruditos, quales esse oporteat. Ibi aliquis: neq; tamen, inquit, ipsum, etiamsi ita præstans sit, amplexeris, vti propinquos solemus. Minimè, ad hoc inquit turpis ille. Neq; enim ita laboris patiens est. Si me amplecti in animum inducat, hoc ita ei graue sit, vt omnes alij labores, quos sumit in exercitationibus. Eiusmodi, & ioca & seria, tum referebantur, tum fiebant in tabernaculo. Prostremo tertia libatione facta, precati bona à dijs, misso conuiuio, dormitum ierunt.

XXXII.

Iam semel atq; iterum de liberali ratione iocandi mentionem fecimus: huc diçteria pertinent, quæ Græci scommata appellant, quibus alius quasi acrius vellicatur. Sunt autem instar contumeliarum. Cum autem legumlatores contumelias dicere vetuerint, vetare oportuisse, quædam etiam scommata, censet philosophus. Quod cum præteritum à plerisq; sit, ipse sibi homo politus & liberalis erit regula: quæq; libero homine digna erunt, ipseq; in se recipere non grauatim velit, iaciet in alterum. In amicitijs autem inæqualibus animaduertendum: plus licere in hac quoq; parte amico superioris conditionis: sed hic tamen neq; amicum pro mancipio habebit, aut *γελωτοποιῶς*, quod est genus

G 3

homi-

hominum leuissimorum, infra omnes adultores positum, paruum saepe lucelli gratia quidlibet faciens & tolerans. Alterum hoc loco animaduersione non indignum est: turpem huncce hominem virtute non minus præditum esse: proptereaq; beneuolentia dignum: sed contra formosissimus improbus odio dignus est: siquidem homo est non quod videmus, sed ipse animus. Physiognomones è vultu pluribusq; corporis partibus animi vim sibi videntur posse explicare: neq; hoc planè est de nihilo. Consentaneum est pulcherrimum omnium Græcorum Achillem, fortissimum quoq; esse: Thersitem vt turpissimum, sic pessimum. pessimus namq; qui seditiosus. Neq; tamen hoc perpetuum. Nam & Aesopus, quem ipsa deformitas finxerat, erat sapientissimus: & hoc sapientior omniumq; innocentissimus Socrates, neq; ipse formosus, vt, quod & Cicero in Tusculanis, & Alexander Aphrodiensis in libro de fato testantur, Zopyrus physiognomon multa in eum in conuentu vitia collegerit. Sed ipse Zopyrum subleuauit Socrates, cum illa sibi vitia inesse, sed ratione à se deiecta diceret.

Postero autem die omnibus militibus coactis dixit Cyrus in hanc sententiam. Certamen, amici instat: adueniunt enim hostes: penes victores erunt præmia. Quod si nos superiores simus, scilicet & ipsi hostes in nostra potestate erunt, & hostium bona omnia: (hoc enim & ominandum & agendum est) si inferiores, itidem omnia deuictorum bona victoribus præmij loco proposita sunt. Hoc igitur, inquit, nosse vos oportet: quod si sociorum belli prorsus animum induxerit vnusquisq;, nisi ipse rebus prospiciat, nihil præclarè gestum iri; futurum, vt celeriter
 multa,

multa, & præclara gerantur. Nihil enim omnium
 XXXII. prætermittitur, quæ fieri oportebat. Sin contra quisq;
 cogitet, non defuturum alium, qui rem gerat, qui
 pugnet in acie, etiamsi ipse sit mollissimus: eiusmodi
 homines, inquit, ipsimet scitis, in omnia simul grauif-
 sima incururos incommoda. Atq; ita Deus agit,
 vt, qui nolint sibi imperare labores, quibus bona com-
 parent; ijs alios imperatores constituat. Itaq; iam sur-
 gat aliquis, qui dicat de hac re: Vtrum existimet,
 maius apud nos futurum virtutis studium, si, qui plu-
 rimum laboris & periculi sponte subiturus est, ho-
 nore etiam maiore afficiatur, an, si innotescat, nihil
 referre, quamuis mali simus & ignaui: quando
 sine discrimine paria omnibus præmia consecuturi
 sumus.

XXXII. Præclarum: si quisq; militum sua virtute plurimum se pro-
 feclurum confidat; victrices erunt copia: si quisq; civium, sua
 prudentia fulciri conabitur ciuitatem, beata erit respublica: si
 vnumquodq; membrum valebit, sanum erit vniuersum corpus.
 Sed vt in corpore suo munere quodlibet membrum, nec alieno
 fungitur: idem in exercitu militum, in patria ciuem facere oportet.
 Sin secus fiat; in neutro erit sua virtus, & vterq; ille status
 veniet in periculum curiositate, quam polypragmosynen græci
 dixerunt, cum quis plura sibi non credita gerit, neq; refert, quam
 pulchrè pingat, quodcunq; instituerit. De negligentia apparet, vt
 si quoduis membrum amittat suam ἐνέγγαιον, corpus collabi ne-
 cesse est, sic cum nemo sit in officio, aut hoc plurimi negligant,
 spei in vita nihil fore.

Tum

XXXIII.

Tum igitur surgit Chryfantas, vnus ex hominibus timidus, vir specie neque magnus neque robustus, sed consilio præstans: & ita inquit: Puto, Cyre, te hanc rem ad deliberandum proposuisse, non quod cogites, fas esse, vt ijs præmijs mali afficiantur, quibus boni, sed vt explores, sitne omnino aliquis, qui ausit ostendere, in mentem sibi venire, etiamsi nullum singulare facinus edat, se tamen, quæ alij virtute parauerint, eorum æquam partem habiturum. Quod autem ad me; ego neque pedibus velox, neque manibus robustus sum: & intelligo, ex ijs, quæ meo ipse corpore geram non posse censerî me, neque primum, neque secundum, neque opinor millesimum, ac forte ne quidem vnum ex decem millibus: Verum & hoc satis certo scio: si qui viribus valent, fortiter aggredientur negotium, me alicuius etiam commodi futurum participem, quod scilicet æquum erit: sin imbelles nihil prorsus agent, & viribus præditi animum abijcient, metuo, ne alterius rei quàm commodi fiam magis particeps quàm ipse desiderem.

XXXIII.

Non est eadem semper proportio corporis & animi. Nam & Tydeus quamuis pusillus, vt ait poëta, valebat armis. τὸ δ' εὖς μέντοι μικρὸς ἔκρ' ἔμας, ἀλλὰ μαχητής, sæpè fit, vt cui robur non suppeditet; is consilio polleat, vt hic Chryfantas. Non semper plurimum præsidij positum est in vasti corporis hominibus: sed vbiq; imperium tenere sapientes, inquit Agamemnon Sophocleus.

du 28

οὐδ' εὐρύνωτοι φῶτες ἀσφαλῆσαι·
 ἀλλ' οἱ φρονεῖντες εἰ, κρατοῦσι πανταχῶς.
 μέγας δὲ πλευρὰς βούς, ὑπὸ σμικρᾶς ὁμῶς
 μάστιγος ὀρθὸς εἰς ὄδ' ὁμ' ἰστέυει.

In hanc sententiam cum Chrysantas esset locutus, statim ab eo surgens Pheraulas Persa, vnus ex plebeijs, qui iam pridem domi Cyro familiaris & gratus fuerat, videreturq; homo neq; corpore degener, neq; animo ignobilis, ita dixit. Equidem, Cyre vosq; Persæ, quotquot adestis, nos omnes pari ratione in certamen de virtute descendere existimo. Video namq; nos omnes ijsdem cibus ali, ijsdem corporis exercitationibus deditos, omnes eadem consuetudine dignos censeris; omnibus nobis eadem honesta proposita. Primum enim omnibus commune est, vt præfectis obtemperemus: quiq; hoc sine tergiuersatione fecerit, eum à Cyro honore affici video. Alterum, vt quis se aduersus hostes fortiter gerat; hoc non est eiusmodi, vt vnum deceat, alterum non deceat: sed etiam id esse omnibus honestissimum, iam olim dubium est nemini. Nunc autem, mihi credite, talis quoque nobis pugna proponitur, quam omnes homines natura nosse video, quemadmodum & ceteræ amantes, aliquod pugnae genus quæq; nouerunt, quam non ab alio, quàm à natura didicerint, vt bos ferire cornu, equus vngula,

H
canis

canis ore, dente aper. Quin etiam, inquit, hæ sibi ca-
 uere norunt ab ijs omnibus, à quibus maximè opus
 sit, etsi nullius magistri ludum frequentarint. Ipse
 quoq; à puero, illi, à quo me peti arbitrabar, noueram
 prætere: quin si nihil haberem aliud, vel ipsas ma-
 nus obijciens, auertebant ictum, quoad poteram: idq;
 faciebam non doctus, sed contra propterea sæpe pub-
 satus, quod quid obijcerem: gladium equidem statim,
 puer adhuc, arripiebam, vbi vidissem, cum neq; ipsum
 à quoquam didicissem, quo pacto prehendendus esset,
 nisi à natura, vt ego quidem sentio. Quare & hoc
 prohibitus faciebam, non edoctus: quemadmodum
 XXXIV. & nonnulla alia, quæ etsi pater & mater interdixis-
 sent, tamen me natura facere compellebat. Ideoq; fe-
 riebam gladio, quodcumq; possem clanculum. Hoc
 enim non solum natura mihi erat, vt incessus & cur-
 sus: sed præterquam, quod ita natura factus eram, id
 mihi cum voluptate facere videbar singulari. Post-
 quam igitur, inquit, hæc nobis pugna proponitur, in
 qua plus animi alacritas, quàm ars valeat, quî non
 cum voluptate nobis cum homotimis sit contenden-
 dum? præsertim cum præmia virtutis & ipsa paria
 proposita sint, & nos minime paria in discrimen ad-
 ducere sciamus? illos vitam honoratam, quæ sola in-
 cundissima est: nos vero hanc laboris plenam, ex-
 pertem:

partem dignitatis, qua censeo nihil esse grauius. Maximè vero, amici, hoc me ad certamen cum hisce cupidè suscipiendum inflammat, quod Cyrus iudex erit, qui nulla cum inuidia iudicium exercebit: quin sacramento confirmare non dubitem, Cyrum, quos præstantes esse videat, æquè caros habere, atq; semetipsum. Quin & eum video, quodcunq; habeat, libentius ijs dare, quàm sibi habere. Neq; me fugit, hosce animo elato esse, quod disciplina singulari ad famem, sitim, & gelu tolerandum instructi sint, cum non satis intelligant, nos in ijsdem rebus à præstantiore magistro institutos esse, quàm ipsi sint. Neq; enim præstantior earum magister est, quàm ipsa necessitas, quæ in ijs omnibus nos tamquam ad amussim omnia agere docuit. Atq; hi studuerunt labori armis ferendis, quæ omnes excogitant, vt ferri possint quàm leuissimè: nos contra, sub magnis oneribus & progredi & currere coacti fuimus: vt iam hæc armorum onera alis mihi, quàm oneribus similia esse videantur. Quare, inquit, Cyre, de me sic habe, me & pugnaturum libenter, & qualem me gessero, si tali præmio afficiar, æquum existimaturum. Vobis vero, plebeie conditionis viri, auctor sum, vt cum hisce disciplina institutis huius pugnae contentionem alacriter suscipiatis. Certamen enim ijs certè sub-

H 2 eundum

eundum est, quod plebeio ordini maximè conuenit. Sic dixit Pheraulas: neq; non multi alij surrexerunt, & in eorum sententiam ierunt. Visum igitur fuit, ut quisq; pro dignitate præmiis ornaretur, iudex esset ipse Cyrus. Hæc ergo ita successerunt.

XXXIV.

Succurrit naturæ explicatio, quæ physica vocatur, disciplinæ politicæ. De moribus namq; rectius & omnia iudicari & multa constitui possunt, si non penitus ignota nobis sit vis animæ hominis. Hæc non est simplex: sed eius vna quasi pars, rationis expers, alia rationis particeps. Pars rationis expers continet in se vim procreandi, vim augendi, vim alendi: estq; hæc non solum in homine, sed & in brutis: neq; vero tantum in animalibus, sed etiam in stirpibus. Pars animi particeps rationis, ipsa quoq; bipartita est. Est enim vel capax rationis, vel ratio. Quæ capax rationis est, vocatur appetitus. Hic est in concupiscentia, in ira, & alijs desiderijs. Appetitus sunt & in brutis: sed in homine hanc partem capacem rationis dixerunt, quod cum iisdem appetitus in hominem cadant, tamen homini non imperant sua natura, sed tali natura sunt, ut possint obedire rationi. Ratio autem ea est, quæ vitæ imperat, & affectibus, quid faciendum sit, præscribit, quæq; cum munere suo plenè ab initio cepit fungi et fungi pergit, affectus, egentes disciplinæ, coercet, & assuefacit, ut excurrere extra carceres ostensos à ratione, neq; ipsi velint. Rationis imperium est tanquam paternum: seruitus alterius partis, veluti filiorum obedientia. Pater scit, quid faciendum sit, & hoc mandat: filius, quod ignorabat, à patre acceptum intelligit & paret. Attingi paucis nobilem doctrinam, cuius vberior explicatio sanè necessaria est, suoq; loco suscipienda. Hæc igitur naturæ ordine fiunt. Popularis oratio est Pheraulæ. Neq; enim, quo nos rapit impetus affectuum, & natura ducit: sed natura ducit, quò dixi, ut inferiores animæ facultates pareant superiori, tamquam reginæ: non reluctentur, ut contumax mancipium.

Inuitabat

Inuitabat deinceps ad cenam Cyrus aliquando
 vniuersam quoq; centuriam cum centurione. Viderat
 enim eum alteram partem suæ centuriæ militum al-
 teri in acie opposuisse, vt etiam concurrerent. Induti
 erant lorica omnes, & sinistra tenebant scuta: sed
 mediæ parti in dextram graues bacillos dederat; al-
 teros iubebat sublatis glebas in illos iacere. Cum
 ita starent parati, signum eis pugnae dabat. Ibi igitur
 iaciebant illos glebis, contingebantq; eorum partim
 loricas & scuta, partim femur & tibiam. Postquam
 vero manus conseruissēt, alteri, qui bacillos ferebant,
 feriebant eorum vel femora, vel manus, vel tibias:
 inclinantium se ad glebas, ceruices feriebant & ter-
 ga: tandem, qui bacillos ferrent; alteros in fugam
 versos feriebant, multo cum risu & ioco. Mutata
 vero etiam ratione alteri iterum, acceptis bacillis, eo-
 dē modo alteros tractabant, qui tum glebas iaciebant.
 Cyrus igitur hæc admiratus, nempe tum centurionis
 in inueniēdo ingenium, tum obedientiam militum,
 qui eodem tempore & se exercerent, & animum re-
 crearent, & vincerent, hi videlicet, qui veluti Per-
 sico more essent armati: singulariq; ex ijs voluptate
 accepta, ipsos ad cenam vocabat. Horum cum in
 tabernaculo vnius crus, manum alterius inuolutam
 cerneret; quærebat, quid ipsis accidisset. Aiebant

H 3 se

se glebis petitos. At ille secundo quærebat: Idne, quando in manus venissent, an vero, cum essent eminus? Aiebant illi, cum eminus essent: sed cum manus iam conseruissent, dicere ludum iocumque pulcherrimum fuisse hi, qui bacillis vsi fuerant: contra, qui plagas bacillis accipissent, nequaquam ludum iocumque sibi esse videri exclamare, cædi cominus: simulque ostentare, quas manibus, quas ceruicibus plagas accipissent: neque non in facie aliqui: denique, ut fit, ipsi sese irridere. Postero autem die campus omnis refertus erat hosce imitantium: quin si nihil agerent aliud grauius, semper huic ludicro certamini operam dabant.

XXXV.

Luculenta explicatio ludicri certaminis: ex quo videre est, ut duces æmulentur imperatoris virtutem, ut acuantur expectatione non solum præmij, sed etiam nude laudis: immo, eo ingenio sunt et ceteri milites. Fontis instar est imperator, copia riuulorum: semper autem sapiunt fontem riuuli.

Alium porro cum centurionem conspexisset, qui centuriam duceret à fluuio ad prandium singulatim, quique cum ipsi videretur, secundo manipulo mandaret, et tertio, itemque quarto, in frontem procedere. Cum in fronte essent præfecti manipulorum, bipartito quemque manipulum eos iubebat ducere, atque hac ratione in fronte præibant decuriones. Cum iterum ei tempus esse videretur, quadripartito instruebat quemque

quemq; manipulum, quos ita ducebant quincuriones, ut quaterni incederent. Deniq; vbi accessissent ad fores tabernaculi, ipseq; iussisset binos ingredi, introducebat primum manipulum: hunc ponè sequi iubebat secundum; deinceps tertium itemq; quartum, idem mandans introducebat: atq; ita ut introgressi fuerant, eos iubebat accumbere. Huius comitatem Cyrus admiratus, & rationem disciplinae & industriam non ipsum solum, sed etiam vniuersam centuriam ad cenam vocauit.

XXXVI. Taxiarchus vni ordini praest: eum centurionem interpretamur: est namq; idem hecatontarchus, qui instruit centum milites. Lochagus, vnius manipuli praefectus. Cum autem non planè Latina dictio Graecae respondeat, vir praestantissimus optimeq; de bonis litteris ad omnem posteritatem meritis Ioachimus Camerarius, quem iccirco honoris causa nomino, nomen lochi sibi retinendum censuit. De manipulo alibi ab alijs quoque dictum est: & quis & vnde sic dictus fuerit Plutarchus etiam in Romulo aperit. Lochus comprehendebat milites XXIV: quibus accedebat lochagus. Decadarchus, id est decurio praerat decem militibus: etiamsi in centuriae distributione ei cedant vndecim, ut ipse sit duodecimus: quasi dodecadarchus. Pempadarchus, quincurio, qui militibus quinque praesset, ipse sextus; quasi hexadarchus. Hoc enim ille vir longè doctissimus itidem obseruauit, quod omnino in rationibus ordinum, qui hic explicantur, obseruandum est. Ducebat autem centurio suum ordinem, primum ipse omnibus antecedens, ut sequerentur singuli, vnus scilicet alterum: quod nemini obscurum esse potest. Deinde, ut procederent quatuor praefecti vno ordine, eorum suum ducens vnusquisque manipulum, ut ita quaterni procederent, hoc modo, nisi fallor.

Mani-

Decuria octava, quæ est se- d d d d d d d d d d d

D. Decurio octavus, qui est secundus manipuli quarti.

D. Prefectus manipuli quarti.

Decuria septima, quæ est prima manipuli quarti. d d d d d d d d d d d

D. Decurio septimus, qui est primus manipuli quarti.

Decuria sexta, quæ est se- c c c c c c c c c c c

C. Decurio sextus, qui est secundus manipuli tertij.

C. Prefectus manipuli tertij.

Decuria quinta, quæ est prima manipuli tertij. c c c c c c c c c c c

C. Decurio quintus, qui est primus manipuli tertij.

Decuria quarta, quæ est se- b b b b b b b b b b b

B. Decurio quartus, qui est secundus manipuli secundi.

B. Prefectus manipuli secundi.

Decuria tertia, quæ est prima manipuli secundi. b b b b b b b b b b b

B. Decurio tertius, qui est primus manipuli secundi.

Decuria secunda manipuli primi. a a a a a a a a a a a

A. Decurio secundus primi manipuli.

I

Decuria prima manipuli primi. a a a a a a a a a a a

A. Decurio primus primi manipuli.

A. Prefectus manipuli primi.

Quins

Quincuria decima sexta, quarta manipuli quarti.	dddd	D. Quincurio quartus manipuli quarti.	
Quincuria decima quinta, tertia manipuli quarti.	dddd	D. Quincurio tertius	D. Praefectus ma- nipuli quarti.
Quincuria decima quarta, secunda manipuli quarti.	dddd	D. Quincurio secundus manipuli quarti.	
Quincuria decima tertia, prima manipuli quarti.	dddd	D. Quincurio primus manipuli quarti.	
Quincuria duodecima, quarta manipuli tertij.	cccc	C. Quincurio quartus manipuli tertij.	
Quincuria undecima, tertia manipuli tertij.	cccc	C. Quincurio tertius	C. Praefectus ma- nipuli tertij.
Quincuria decima, secunda manipuli tertij.	cccc	C. Quincurio secundus manipuli tertij.	
Quincuria nona, prima manipuli tertij.	cccc	C. Quincurio primus manipuli tertij.	
Quincuria octava, quarta manipuli secundi.	bbbb	B. Quincurio quartus manipuli secundi.	
Quincuria septima, tertia manipuli secundi.	bbbb	B. Quincurio tertius	B. Praefectus ma- nipuli secundi.
Quincuria sexta, secunda manipuli secundi.	bbbb	B. Quincurio secundus manipuli secundi.	
Quincuria quinta, prima manipuli secundi.	bbbb	B. Quincurio primus manipuli secundi.	
Quincuria quarta, manipuli primi.	aaaa	A. Quincurio quartus manipuli primi.	
Quincuria tertia, manipuli primi.	aaaa	A. Quincurio tertius manipuli primi.	A. Praefectus ma- nipuli primi.
Quincuria secunda, manipuli primi.	aaaa	A. Quincurio secundus manipuli primi.	
Quincuria prima, manipuli primi.	aaaa	A. Quincurio primus manipuli primi.	

In

In cena autem illa quidam alius vocatus & ipse
 aderat centurio: numquamne, inquit ille, Cyre, &
 meam centuriam ad te vocas? siquidem & mei mi-
 lites, quoties ad cenam veniunt, hæc omnia faciunt,
 atq; insuper, conuiuio peracto, postremi manipuli vl-
 timus, ductoris iam ipse munus obiens, educit mani-
 pulum vltimum, vltimis illis in prima ad pugnandum
 acie constitutis: ac deinceps ordine ductor vltimus se-
 cundi manipuli: atq; eodem modo tertius, itemque
 quartus: id vero ob eam causam, vt si reducere mi-
 litem ab hostibus necesse sit, nouerint quomodo re-
 gredi oporteat. Postquam vero in campo constitimus,
 vbi ambulamus: tum, si ad orientem tendimus, ego
 præeo, & primum primus manipulus, deinde se-
 cundus, vt conuenit, etiam tertius & quartus: mani-
 pulorum item decurie & quincurie, quamdiu ipse
 iubeo: sin, inquit, ad occidentem tendimus, ductor ille
 vltimus & vltimi milites primi præeunt: neq; tamen
 non mihi, etsi tum sim vltimus, obtemperant, quo pa-
 riter tam sequendo, quam ducendo obedire assuescant.
 Perpetuone, inquit Cyrus, id facitis? Equidem, inquit,
 quoties cena apparatus. Voco igitur vos, inquit: tum
 quia rationem aciei tam procedendo quam recedendo
 exercetis, tum quia id & dies facitis & noctes, tum
 quia ambulationibus corpora firmiora & disciplina

animos efficitis meliores. Quin, cum omnia faciatis gemina, æquum etiam est, ut geminum vobis epulum præbeam. Minimè gentium, inquit centurio, vno die, nisi & geminos nobis ventres suppedites. Hic illius conuiuij exitus erat: postero die Cyrus vocabat ad se hanc centuriam, atque etiam tertio, ut se facturum ostenderat. Hæc cum & alij accepissent, deinceps omnes eos æmulati sunt.

XXXV. Eadem fuit huius centurionis disciplina, quæ est superioris: nisi quod ut ille suam centuriam duceret, ita hic quoque suam & duceret & reduceret. Ratio igitur disciplinæ utriusque eadem est: sed geminata huius, & secundo loco aduersaria priori. Quod enim ipse ducendo præstat centurio, hoc præstare oportet reducendo vltimum centuriæ militem, cui hoc munus erat datum, ut ipse pro centurione ductor esset regredientis centuriæ. Itaque nominatur à Græcis *vragus*. Erant apud Romanos priscis seculis *accensi*, qui postea *optiones* dicti fuerunt, ut ex grammaticis Latinis licet cognoscere. *Optio*, inquit Festus, qui nunc dicitur, antea appellabatur *accensus*. Is adiutor dabatur centurioni à tribuno militum, ut quem vellet, eligeret, vnde nomen sortitus est. Unde existimat solertissimus indagator antiquitatis Carolus Sigonius, *vragos*, Latinis dictos fuisse *accensos* primò, postea *optiones*. Mihi nihil causæ est, cur debitum, centuriones *accensis* illis siue *optionibus*, & vti potuisse & vsos sæpe fuisse pro *vragis*.

Porro cum delectum aliquando haberet Cyrus & aciem instrueret, præsto ei fuit à Cyaxare præco, qui diceret legatos ab Indis venisse. Quare te iubet Cyaxares ad se venire, quàm celerrimè. Fero autem tibi,


tibi, inquit præco, ab ipso stolam elegantissimam. Vult enim te quàm ornatissimum & splendidissimum accedere. Indi namq; videbunt, ad quem modum aduenias. His auditis Cyrus iussit centurionem primi loci in frontem consistere, suamq; centuriam singulatim ducere, ita vt ipse ad dextram ingrederetur: iussit etiam, hunc indicare secundo, idem vt faciat: atq; ita iussit hoc omnes alijs ordine ad vsq; vltimum tradere: neq; non ipsi dicto audientes, & celeriter indicabant, & celeriter indicata faciebant. Ita tempore admodum breui constituta fuit copiarum frons, ducentorum videlicet: (tot enim erant centuriones.) altitudo retro centum militum. Vbi in acie ita constitissent, iussit eos sequi, quò ipse duceret: ipsosq; duxit festinanter. Verum vbi animaduertit, viam, quæ ad regiam duceret, arctiorem esse, quàm vt omnes exporrecta fronte possent progredi; iussit se primam chiliada subsequi: hanc subsequi etiam secundam: atque hoc modo eos ducere non desijt, vt ceteræ chiliades, quæq; proximè antecedentem è vestigio subsequeretur. Præterea famulos duos ad os viæ mittebat, qui, si quis quid ignoraret, quid cuiq; faciendum esset, docerent. Vbi autem ad arcem Cyaxaris ventum fuit, mandat primo centurioni, suam centuriam instituere in duodenos altitudine, vt in fronte decu-

I 3 riones


riones circum regiam consistant: iubet & secundo eadem indicari, atq; ita in vniuersum omnibus. Hi quidem dum hoc agunt, Cyrus ad Cyaxarem introit stola Persica indutus satis honesta. Ibi eo viso Cyaxares, voluptatem cepit è celeritate illius præsentiae, dolorem contra è vilitate vestis. Quid? inquit, Cyre, quid agis? itane in conspectum Indorum venis? At ego volebam, te comparere quàm splendidissimum. Esset enim id mihi ornamento, te sororis meae filium, quàm fieri potest, magnificentissimè conspici. Ad hæc Cyrus: Vtrum, inquit, Cyaxares, maiori tibi ego ornamento forem, si amictus purpura, armillas gestans, torque cinctus, pedetentim progressus, præcipienti tibi paruissem: quàm nunc, quando cum tantis talibusq; copijs ita repente tibi pareo, & sudore & studio, quoniam te veneror, ornatus ipse, & te ornans, & ita obediens tibi quoq; præstans ceteros. Ita aiebat Cyrus, quæ ipsum rectè dicere existimabat Cyaxares: iamq; introduci Indos iubebat. Vbi introiissent Indi, narrabant se ab Indorum rege legatos esse, & iussos sciscitari, quæ caussa belli Medis & Assyrio esset. Iussit vero etiam te audito, ad Assyrium iter suscipere, & ex eo de hac eadem re sciscitari: tandem vero vtriq; vestrum indicare: regem Indorum promittere, se, rei æquitate considerata, alteri præsidio venturum,

venturum, quem iniuria affici intelligat. Ad hæc dixit Cyaxares: Audite igitur me: nos nulla iniuria afficimus Assyrium: vos iam illò profecti, ex eo, quid dicat, sciscitamini. Præsens ibi Cyrus è Cyaxare quærebat: an & ipse, aiebat, dicam meam sententiam? Iussit eum dicere Cyaxares. Vos igitur, inquit, renunciate hæc Indorum regi, (nisi fortè secus videatur Cyaxari) nos si Assyrius, se à nobis iniuria affici, queratur, Indorum regem arbitrum constituere. Legati his auditis abierunt.

Frons copiarum huiusmodi sit.



Verum Camerarius cum supra legisset τριμυριας 30000: hic constituit frontem τετρακοσίων, 300, faciendq; huiusmodi Persici exercitus designationem.



Præterea iterum animaduertendum, vt elegantie non negligens splendorem minimè affectans, ducis munere fungatur potissimum Cyrus: vt item legatio expediatur non longis & politis



litis orationibus, ad ostentationem factis, sed verbis quàm paucissimis, quæ rem aperiant, & animorum sensa repræsentent. Recte illud vetus:

ἔργον πᾶρεργον οὐδ' αὖτις ἔργον λέγω.

ἢ ὡς ἔργον κατὰ φρονεῖν.

Postea vero quàm discesserant Indi, in hunc modum loqui cœpit Cyrus ad Cyaxarem: Equidem ad te veniens, Cyaxares, non magnam vim pecuniæ domum mecum attuli: quodcunque tamen erat, perparum mihi est eius reliquum: omnem fere impendi in milites: tu fortasse miraris, quî tantos ego sumptus fecerim, cum tu nobis alimenta præbeas. Scito igitur, non alio modo eam me impendisse, quàm ut honorem haberem & largirex ex militibus, si quem magni ego facerem. Sic enim sentio, inquit, satius esse, ut quoscunq; velis cuiuscunq; rei fideles socios habere, blanda oratione & beneficijs excites potius, quàm verborum asperitate cogas & vi; quos autem in bello facere laborum adiutores promptos velis, eos omnino tibi bonis & verbis & factis capiendos. Amicos namq; esse, & minimè alieno animo, oportet eos, qui in societate numquam tergiuersentur, neq; successibus imperatoris inuideant, neq; ipsius rebus aduersis deficient. Hæc ergo cum ita antè apud me statuerim, arbitror ad hanc rem pecunia opus esse. Verum ut omnes ad te respiciamus, quem ingentes facere sumptus sentio; minimè

minimè conuenire existimo: ne autem sumptus defi-
 ciant, æquè vtriq; & mihi & tibi dispiciendum esse
 iudico. Si enim tibi suppeditabunt, non dubito, quin
 & mihi sumere liceat, si quid opus sit: præsertim si
 eo impendam, vbi quodcunq; impendatur, in tuam vti-
 litatem cedat. Non ita pridem igitur me ex te au-
 dire memini, quod & Armenius nunc te parui faciat,
 quando audit, hostes nobis imminere, neq; tributum
 debitum pendat. Sic ille facit, inquit, Cyre. Quare
 ipse etiam in dubium venio, satiusne sit, vt ipsum ado-
 riar, & coner cogere, an expediat missum facere in
 præsentia, ne & hunc nobis hostem paremus præter
 ceteros. Cyrus interrogat: vtrum in munitis locis
 domicilia habent, an aditu facilibus? Habent ea,
 inquit Cyaxares, in locis non admodum munitis: neq;
 enim hoc ego neglexi: tamen ij montes ibi sunt, quos
 qui adscenderit, repentè in tuto loco sit, vt neq; ipse,
 facile capi possit, neq; ea quæ illuc conuexerit, nisi ob-
 sidione oppidum expugnetur, quod aliquando meus
 pater fecit. Sic deinceps ait Cyrus: Quod si me
 velis mittere, additis quot opus sit equitum turmis;
 puto me, dijs iuuantibus, effecturum, vt ille & sub-
 mittat copias, & tributum tibi pendat: atq; insuper
 spero, ipsum nobis amiciorem futurum, quàm hodie
 est. Tum Cyaxares; & ego, inquit spero, facilius
 K illos

illos ad te accessuros, quàm ad nos, quòd audiant ipsius liberorum aliquos tibi venationis socios fuisse. Quare forsàn haud grauatim ad te accedant. Iam, vbi aliqui erunt in potestate nostra, quaecunq̄ue cupiamus, perfecimus. Videturne igitur tibi, inquit Cyrus, ex vsu esse, vt hæc consilia agitemus clanculum? Ita citius, inquit Cyaxares, in manus nostras veniat: & si quis in eos irruat, imparatiores capiantur. Quapropter audi, inquit Cyrus, videarne tibi aliquid dicere. Equidem sæpenumero, cum Persis, quos apud me haberem, omnibus in tue & Armeniorum regionis limitibus venatus fui: quin & iam aliquot familiarium ex tuis equitibus mihi adiunctis illo me conferebam. Quare si idem facies, inquit Cyaxares, in suspicionem apud neminem venies. Quod si vero maiores copiae videantur esse, quàm quibus venans vti soleres, hoc iam non vacabit suspitione. Verum, inquit Cyrus, facile hic quoq̄ possumus prætexere, quod verisimile sit: ac si quis istuc denunciaret, me magnam venationem parare, sic, inquit, palam te equites poposcero. Rectissimè dicis, inquit Cyaxares: ego vero tibi concedam non ita multos, vt qui ad castella in Assyriorum finibus me conuertere constituerim. Namque etiam re vera, inquit, me illò conferre cogito, et illa munire, quàm possum maximè.

Tis

Tu porro, vbi cum copijs, quas habes, progressus, iam venationi incumbes: tum biduo satis equitum & peditum ex meis copijs ad te transmisero: eos vbi tibi adiunxeris, ascenderis subito. Ego autem instructus alia manu, dem operam, ne à vobis absim longius, vt præsto sim, si tempus postulet. Sic igitur Cyaxares subito ad castella coëgit & equites & pedites, & vehicula eum frumento præmisit ea via, qua itur ad castella. Cyrus pro itinere sacrificia faciebat, simulq; misso ad Cyaxarem homine, aliquot adolescentiorum equitum postulabat. Hic Cyaxares ex perquam sanè multis, qui vnâ cuperent proficisci, paucos ei concessit. Processerat iam Cyaxares cum copijs & pedestribus & equestribus, via quæ dictum fuit; quando sacrificia Cyro de Armenio adoriendo pulcra litata fuerunt. Itaq; educit copias, vt ad venandum paratus. Interea vero dum procedit, statim in primo aditu exsurgit lepus: leporem aquila ad dextram vt vidit, aduolans ipsa in fugientem irruit, ipsumq; percussit, abreptumq; in altum sustulit, inde abduxit in tumultum non longinquum, vbi præda fruebatur, vt libebat. Id ominis conspicatus Cyrus, magno animo letitia concepta Iouem regem salutabat, & ad eos, qui aderant: Egregia, inquit, præda obueniet, amici, si Deus annuat. Postquam autem ad fines venerunt, statim, vt so-

K. 2 lebat,

lebat, venationi operam dabat: atq; ibi vulgus pe-
 ditum & equitum erumpebat, vt excitarent feras è
 cubilibus: sed lectissimi & pedites & equites vtrin-
 que constiterant, quæq; surgerent, feras excipiebant
 & persequabantur, capiebantq; multos tum apros,
 tum ceruos, tum capreas, tum onagros. Nam hi
 etiam hodie in ijs locis frequentes sunt. Peracta ve-
 natione, in ipsis Armeniorum finibus cenam parabat:
 postridie redintegrabat venationem, cum accessit, ad
 quos montes cupiebat. Iterum sine venationi im-
 posito, cenabat. Tum intelligens à Cyaxare copias
 aduentare, clam ad eos misit, qui diceret, vt octo ab
 ipso millibus passuum cenarent: quod prouideret, hoc
 conferre, ne res palam fiat: iussit tamen, cum conue-
 nissent, ad se eorum ducem venire. A cena & ipse
 centuriones conuocabat, ad quos hanc orationem ha-
 buit. Amici carissimi: Armenius & socius erat &
 subiectus Cyaxari: sed postquam intellexi, hostes nobis
 imminere, contemnit nos, & neq; subsidium nobis mit-
 tit, neq; tributum pendit. Hic igitur inuestigandus
 nobis & capiendus est, si possimus. Sic igitur, inquit,
 res mihi gerenda esse videtur. Tu Chrysanta, vbi
 somni, quantum satis est ceperis, adiunge tibi alteram
 partem Persarum, qui nobiscum sunt, adscende in re-
 gionem montanam, & eos montes occupa, in quos
 ipsum,

ipsum, si quid metuat, aiunt confugere: ego tibi via
 duces adiungam. Aiunt vero etiam hosce montes sil-
 uis vestitos esse, vt confidam, vos facile latituros:
 tamen, prae mittas copijs expeditos viros, & numero
 & vestitu latronibus similes: hi tibi, si quibus Ara-
 menijs obuiam fiant, horum partim interceptos pro-
 hibebunt, ne quid denuncient, partim, quos assequi non
 poterunt, disiectis obsistent, ne vniuersas copias ad-
 uentare videant: sed consilium capiant, quomodo è
 manibus latronum elabantur. Tu, inquit, ita facito:
 ego autem prima luce alteram partem ducens pe-
 ditum, & quidquid est equitum, per campos recta
 pergam ad regiam. Quod si tum restiterit, sine dubi-
 tatione pugna commitenda erit: sin cedat ex aequo
 loco, cursu erit ille consecrandus. Quod si tum ad
 montes se recipiat; tui iam, inquit, erit officij, ne quem
 ad te sinas adscendere. Puta vero, quemadmodum in
 venatione, nos indagare feras, te consistere ad retia:
 neq; non memineris, loca peruia obstruenda esse, prius
 quam se ferae moueant: & oportere, qui ibi constituti
 sint, eos latere, ne accurrentes feras repellant. Quare
 ne id commiseris, Chrysanta, quod aliquando facis ve-
 nationis desiderio. Saepe namque totam noctem in-
 somnem agis. Verum nunc peropus est, vt milites
 satis dormiant, quo somnum deinceps abigere possint;

K 3 neq;

XENOPHONTIS CYRI PÆDIÆ

neq; item, quoniam venans, quando nullis videlicet
 ducibus vteris, erras in montibus, & quæ feræ præ-
 currunt, eas insequeris; ne, inquam, ita & nunc via
 eas, quæ difficilis adscensu sit, sed iube, duces, te via
 nisi admodum brevis sit, quàm facillima ducere.
 exercitui namq; facillima quæq; breuissima est. Neq;
 etiam, quia tu per montes cursitare assuetus es, curri-
 culo milites ducas: sed quò te sequi possit exercitus,
 moderata festinatione procede. Quin etiam perutile
 est, vt validissimi & promptissimi subsistant ali-
 quando, ad cohortandos alios: vbi autem cornu præ-
 terierit, inflammat magnopere ad festinandum, si præ-
 ijs, qui ambulant, currere videantur. Hæc igitur
 cum dixisset Cyrus, Chrysantas incensus illius præ-
 ceptis, assumptis viæ ducibus, discessit, & cum si-
 gnificasset, de quibus, quos abducturus erat, certiores
 fieri oportebat; quieuit. Cyrus autem, cum iam illu-
 xisset, præconem ad Armenium præmisit, edoctum à
 se ante, vt hæc diceret: Cyrus Armenie, te iubet hoc
 agere, vt quamprimum venias & tributum ferens,
 & copias adducens. Quod si quærat, vbi sim, dic,
 quod res est, me esse in finibus. Quod si vltius quæ-
 rat, ipse adueniam; & hic quoque, quod res est, di-
 cito; tibi non liquere. Quod si, quantæ sint nostræ co-
 piæ sciscitetur; iube, vt hominem vnâ tecum mit-
 tat,

79

LIBER SECVNDVS.

rat, qui videat. Misso igitur præcone hæc nunciauit,
 quòd iudicaret humanius esse hac ratione, quàm nul-
 la re denunciata, progredi. Ipse porro acie instructa,
 quæ esset commodissima, & ad iter faciendum, & ad
 dimicandum si opus foret, procedebat. Præcipiebat
 autem militibus, ne quem iniuria afficerent, & si quis
 in quem Armeniorum incideret, eum omni metu li-
 berarent: sinerent item, vbiq; essent, mer-
 catum quæq; aduehi, si quis esculenta
 & poculenta vellet vendere.

FINIS.

Errata ita emendabis.

pag. 17. vers. 3. pro debebunt, leg. debebunt. p. 29. vers. 19.
 lege Aristophanem.
 p. 31. vers. 21. intulerit. p. 43. vers. 22. γελωτοποιουε,
 Ceteris ignosces, & ipsemet corriges,
 Putamus enim esse leniuscula.

LIBER SECVS

... qui videtur. Miffio igitur precor. Accurandam
... indicat. Lumen est hoc rationis, quod
... re denunciat. Progreffus. Ipse per totum
... effectus. Comprehenditur. Et
... in hunc finem fore procedat. Recipit
... autem multitudine. Et facit. Et si quis
... in quoniam. Incidit. Cum omni
... per se. Invenit. Et
... cum per se. Et si quis

FINIS

... in quibus
... per se. Et
... in quibus
... per se. Et
... in quibus
... per se. Et



Q. 2031 8

X 220 2393 PA 706

M





XENOPHONTIS
CYRI PÆDIÆ

LIBER SECUNDVS.



1383
g4747

AD ILLUSTRISSIMUM PRINCIPEM
HENRICVM IVLIVM
*Præsulem Halberstadiensem, Ducem
Brunsvig. et Lunæburg.*

IOAN. CASELIO INTERPRETE.

*Cum eiusdem aliquot locorum politicis
explicationibus.*

ROSTOCHII
*Ex typographia Augusti Colorini.
Anno MD. LXXIX.*

Ioannis Brenneccii.

